CATHOLIC BOOK AGENCY
PIAZZA PONTE S. ANGELO, 28
ROME (ITALY)

BIBLIOTHECA
FRANCISCANA ASCETICA
MEDII AEVI

EDITA CURIS

PP. COLLEGII S. BONAVENTURAE

Tomus V.

AD CLARAS AQUAS (QUARACCHI)
PROPE FLORENTIAM
EX TYPOGRAPHIA COLLEGII S. BONAVENTURAE
1923.

DIALOGUS DE GESTIS
SANCTORUM FRATRUM MINORUM

AUCTORE

FR. THOMA DE PAPIA

EX INTEGRO EDIDIT

P. FERDINANDUS M. DELORME O. F. M.



AD CLARAS AQUAS (QUARACCHI)
PROPE FLORENTIAM
EX TYPOGRAPHIA COLLEGII S. BONAVENTURAE
1923.

48001

Proprietas litteraria

PRAEFATIO

Iam anno 1902 Romae[1] huius opusculi primam, sed incompletam editionem curavit R. P. Leonardus Lemmens, O. F. M. Ipsemet de auctore dicit[2], quod « suo operi... quasdam dogmaticas et asceticas interseruit expositiones, quarum nullo modo pluries sensum invenire et intelligere potuimus; unde... sólos et omnes titulos de historia agentes plane et integre edidimus, de theologicis ea sola sumentes, quae ad intelligenda et connectenda cetera aliquo modo deserviunt ». Novam ad lucem daturus, eam volui absque lacuna. Sed

---

[1] *Dialogus de vitis sanctorum fratrum minorum: scriptum circa 1245 nunc primum edidit* Fr. L. Lemmens, O. F. M., Romae, typis Sallustianis, MCMII, in-8, XXIV, 122 pp. (*Fragmenta franciscana*, I). [2] L. c.-p. x.

prius veniunt quaedam iterato tractanda, quae libri titulum, integritatem, historiam, indolem et auctorem respiciunt, viamque parant huic labori.

1. De libri titulo.

Dialogi nomen ab auctore primitus usurpatum in prologo, tota libelli indole fundatum, traditione historica consecratum, nefas fuisset omittere, quippe quod aliud non sit opus, nisi quaedam imitatio seu replicatio perpulcra *Dialogorum* s. Gregorii Magni, quibus ut liber quintus iure posset adnecti. Utrobique enim « duorum personae ad invicem conferentium deducuntur, una narrantis vice proposita et altera audientis » [1].

Postea *de gestis* subiunxi, non *de vitis*, ut perperam hucusque solitum erat scribi [2]. Illis equidem taliter olim loquentibus cognitus non erat tractatus, cuius intentus a vitis enarrandis apparet omnino diversus. In eo enim quae sunt partes biographicae stricto sensu, utpote mere introductoriae, minimae dici debent.

[1] Pag. 3. [2] L. Lemmens, l. c. p. x.

« Libet, inquit auctor [1], in initio partitionis cuiuslibet propositi operis pauca quaedam de vita illorum et moribus in modum praefatiunculae summatim praelibando perstringere ». Quae singula fere verba clare quantum secundariae sint ostendunt. Hinc fit, quod pauca ibi de s. Antonio praemittantur vivente, de duobus autem aliis fratribus pauciora, de ceteris plane nihil. Propositum proinde describendi vitas in titulum assumi nequibat ullomodo.

Quod vero *de gestis* potius esset loquendum, saepius innuit ipse liber. Postquam enim celebravit « venerabilium *gesta* patrum » annalibus commendata [2], propriam scriptor aggreditur « *gestorum* seriem » compingendam, ab his incipiendo confratribus « quorum *gesta* fama celebrior divulgavit » [3]. Primum igitur « famosi valde viri s. Antonii *gestis* » dat locum, « ad ultima vitae eius *gesta* » prosequitur, quae « de eiusdem *gestis* mente retinet » explanando. Deinde b. Benevenuto lau-

[1] Pag. 3. [2] Pari formula incipit Vita Gregorii IX, auctore anonymo, ap. Muratori, *Rer. italic. script.* III, p. I, Mediolani 1723, p. 575. Quidam similis prologus II Cel., n. 26, verbotenus sumitur ex Eusebio, *Hist. eccl.* VII, c. 14 (18). [3] Pag. 6.

dato, cuius « *gesta* omnia non cognovit », de ceteris « quorum *gesta* retinet » sermonem instituit, et speciatim de b. Ambrosio, « de tanti viri *gestis* » nihil omittens. His expeditis, adicit « fratrum *gesta* quorumdam ». De fr. Matthaeo « multa *gesta* » audivit. Sic ergo « *gestorum* seriem » suam continuans, alia « de nostrorum *gestis* fratrum » evolvit. Demum asserendo concludit, quod nequaquam « plura scientibus aut maiora de *gestis* fratrum narraturis » invideat, immo quod « ex auditis et lectis fratrum *gestis* » multa scienter tacuerit.

Praedictis patet auctorem non quaecumque proloqui intendisse, sed constanter « *gestorum* » verbo repetito « ad aedificationem fidei » laborasse, facta praesertim miranda seu « *gesta* » heroum scripturae tradendo. Ipsa igitur sub generali, sed amplius glorioso « *gestorum* » nomine comprehensa, quorum utique nonnulla viventibus fratribus evenerunt, at longe maior numerus post illorum decessum, collegit atque narravit. Quibus sic attente perpensis, libro titulus apponi debebat suo modo loquendi conformis, immo plenarie contentis ibi respondens.

2. De eius integritate.

Nostrum non esse *Dialogum* «incompletum» vel operis primigenii «solum fragmentum», sed istud integrum reportare, extra omne dubium poni debet.

In huius assertionis contrarium non valet auctoritas *Catalogi XV Gen. Min.* de fr. Crescentio dicentis [1]: «Hic multa b. Francisci miracula requiri et colligi fecit necnon et de vitis fratrum opusculum quoddam in modum dialogi editum: quorum quaedam habentur, alia per incuriam perierunt». Haec ultima verba, si ad solam primam propositionis partem, i. e. ad recensita miracula, referamus, sicut grammaticaliter sumendum esse videtur, verissima sunt omnino. Periit enim miraculorum s. Francisci crescentiana collectio, cuius quidem reliquiae praesumuntur, mediante fr. Thomae de Celano tractatu, miracula nobis per s. Bonaventuram in Legenda maiori et per *Chroni-*

[1] *Anal. francisc.*, III, 697; *Mon. German. hist.*, SS. XXXII, 661.

cam XXIV Gen. Min. transmissa. Dato vero quod ad secundam etiam partem propositionis, i. e. ad *Dialogum,* possint referri, eo sequeretur solummodo auctorem *Catalogi* cognovisse unum alterumve eius fragmentum, non totum opus nunc praelo submissum. Si utique tale prae manibus habuisset, verba « de vitis fratrum » non scripsisset parum accurata. Eius ergo auctoritas in hoc magni autumanda non est.

Neque aliquid ponderis affert ipsa *Chronica XXIV Gen. Min.,* quae repetit [1] citatam phrasim *Catalogi,* sic partem eius finalem « cuius aliqua habentur, alia per incuriam perierunt », marte proprio corrumpendo. Ei namque, et a fortiori, facienda est responsio, quae obiectioni ex *Catalogo* sumptae datur.

Revera « plures fratres, qui sanctitate et signis praeclari iam in Domino obierant, omnino desiderantur » in dicto *Dialogo* [2]. Sed demonstrandum esset, non gratis supponendum, quod auctor de ceteris facere sermonem voluerit. Porro de opposito plane con-

[1] *Anal. francisc.,* III, 263. [2] L. Lemmens, l. c. p. XIII.

stat. Postquam enim dixit [1] se narraturum « mira virtutum opera, quae per sanctos suos quosdam Ordinis nostri fratres in diversis mundi partibus » exhibuerat Omnipotens, statim prudenter adiecit: « Nec sane singula quaeque virtutum illorum insignia toto paene terrarum orbe diffusa duxi praesentibus exaranda ». In illa demum gesta fratrum incumbit, quorum penes se processus apostolicus exsistebat aut de quibus adhuc superstitum relationem possidebat veridicam. De tribus cum fuisset locutus, subiunxit [2]: « Libet adhuc supradictis adicere fratrum gesta quorumdam »; et se explicans: « Eorum tamen maxime, ait, quae in partibus Italiae perpetrata noscuntur, subit animum formam perstringere ». Postea [3] se speciatim « ad fratres quosdam nostri temporis venire » determinat. Denique dicto iterum cur de s. Francisco nihil protulerit, tandem infert [4]: « Ex auditis et lectis aliorum fratrum gestis multa scienter ac prudenter omisi ». Ecce quomodo pluries nec de singulis sanctis fratribus nec de omnibus uniuscuiusque gestis patenter asserit se noluisse tractare.

---

[1] Pag. 2. [2] Pag. 189. [3] Pag. 246. [4] Pag. 299.

Haec de materia libri sint dicta. Quoad vero formam, scio nihilominus auctorem quoddam in prologo promissum praemittere [1]: « Libet insuper, inquit, in initio partitionis cuiuslibet propositi operis pauca quaedam de vita illorum et moribus in modum praefatiunculae summatim praelibando perstringere ». At ista non sunt urgenda. Nam, licet in prioribus partitionibus habeant veritatem, pro quarta et quinta nequaquam possunt concedi. De quinta, quae de visionibus fratrum agit, illud apparet evidenter; sed et de quarta idem profecto dicemus, si eius propria factura proximius attendatur.

Trium praecedentium quaelibet de uno fratre disserit singillatim, et illas proculdubio scriptor designabat, quando dicebat [2]: « De his fratribus colloquendi sumus exordium accepturi, quorum gesta... fama celebrior divulgavit ». Hi autem sunt s. Antonius, b. Benevenutus et b. Ambrosius, de quorum vita et prodigiis apostolici processus erant instructi. Cum ipsos apud se compilator teneret, nil mirum quod ex eis actorum ante mortem

[1] Pag. 3. [2] Pag. 6.

synthesim potuerit efformare succinctam, absoluta veritate nitentem [1], in miraculorum aliunde silva sibi complacens excessive. Sic igitur copiosa utebatur materia, qua valuit tres partitiones perfecte homogeneas adunare.

Actibus ergo fratrum « celebriorum » separatim descriptis, quorum authentia documentis innixa iuridicis summa erat, alii sedecim in eius scrinio remanebant. Hinc auditori suo respondens sic prosequitur [2]: « Sicut postulas, libet adhuc supradictis adicere fratrum gesta quorumdam... in partibus Italiae perpetrata ». Haec vero, cum « a multo iam tempore » essent « neglecta » aut etiam « cognitioni fidelium occultata », personaliter inquisivit, a fratribus superstitibus « intellecta commemoravit » et globatim sibi certiora sub uno communi prologo publicavit [3].

Quae cum ita sint, cognitaque auctoris mente

---

[1] Id eo facilius ipsi erat, quod usus exsistebat in canonizationis processibus conficiendi summarium vitae Sancti cardinalium subiciendum examini, postea dictum *Vita per curiam approbata*. Cf. *Analecta Bolland.*, XXIII, 392.
[2] Pag. 189. [3] Gesta b. Rogerii describens, p. 206-211, testes haud semel affert iuratos; ipsum aliquod legisse documentum authenticum, valde fit probabile.

praeprimis mira narrandi, fit manifestum cur absit in hac quarta parte biographica quaecumque notitia, quin inde libri possit integritas in dubium quadamtenus revocari. Sed eo magis ipsa relucet, quod propius introspicienti *Dialogum* cuncta appareant sic sibi cohaerentia beneque religata, ut nulla cogitetur laborare lacuna. Ita introducuntur acta b. Ambrosii hisce verbis [1]: « Plura mihi, fateor, de duobus iam fratribus admiranda narrasti ». Ipsis postea completis et nonnullorum occasione suscitatorum longa discussione mota circa resurrectionem olim praetensam Traiani [2], resumit auditor [3]: « Mire quidem excitationi meae manifesta ratio satisfecit, at nunc obsecro... de fratribus aliis nostri Ordinis... prosequaris ». Cui respondens narrator seriem incipit statim novam, quae continebit « fratrum gesta quorumdam » iamdiu « neglecta ». Qua finita, transitus quasi naturalis ad ultimam visionum partem consequitur, quam claudit epilogus generalis.

His accedit, quod quoties auctor se citat

[1] Pag. 133. [2] De qua cf. de Rubeis, *Dissertationes criticae*, XXXII, c. 4. [3] Pag. 189.

unum locum ad alium referendo, toties locus occurrit in promptu, quod insuper a quoquam nullibi adhuc praecisa lacuna potuit indicari.

Nihil igitur contra integritatem militare probatur, immo liber totus eam clamat aperte.

3. De tempore compositionis.

Ipse suae redactionis epocham clare profert [1]: « Obedientia, inquit auctor, reverendi patris ministri generalis, fratris scilicet Crescentii, praeceptrice, veritate praevia praesenti opusculo compingenda suscepi ». Exarabatur ergo iussu fr. Crescentii generalis ministri (1244-1247).

Iamvero Legenda Ia Celanensis ibi laudatur. Loquens enim de s. Francisco et se excusans, quod taceat eius gesta, subiungit iterum auctor [2] quod ea « olim legisse poteris exserte satis ac studiosissime a fratre alio iam descripta ». Etsi haec praebeant potius fictum motivum cur nihil de s. Francisco tradatur, dum econtra sine scrupulo prolixe s. Antonii gesta narrantur prius in Legenda *Assidua*

[1] Pag. 2. [2] Pag. 6.

compilata [1], nequibat tamen clarius lector ad opus primum fratris Thomae remitti. Aliunde adverbium « olim » manifeste ponit opus non esse alterum dicti fratris, maxime cum addatur omissa tunc fuisse multa miracula quia « scriptorem ipsum latuerint », quia « subterfugerint stilum eius », quia « ad ipsius minime potuere notitiam devenire »; quae omnia falsum sonant, si tunc Legenda II^{a} exstiterit.

Dialogus ergo reponendus est inter fr. Thomae opus utrumque. Cum autem Crescentius anno 1244 praedicetur electus [2] et insuper scripta Sociorum, a quibus praesertim II^{a} Celanensis dependet, « in loco Grecii III idus augusti anno Domini 1246 » sint data, inter illa duo extrema iure censeri potest compositus.

---

[1] Huius omissionis volitae dabitur aliud infra motivum. Hic addere sufficiat ideo forsan tacere nostrum auctorem, quia sciebat sibi proposuisse fr. Crescentium, quod iterum tractaret Celanensis de Patre seraphico: « Placuit, inquit iste in prologo Leg. II^{ae}, sanctae universitati olim capituli generalis et vobis, reverendissime pater... parvitati nostrae iniungere ». [2] Cf. *Anal. francisc.*, III, 261, nota 9; P. Sabatier, *Fr. Crescentius de Iesi et son généralat* (1244-1247), in *Opusc. de crit. hist.*, fasc. III, 109 sq.

4. De Dialogi lectoribus.

Lectores valde paucos ipsum habuisse fateamur oportet. Ad quod illustrandum quid aptius isto unico exemplari, illo eodemque quod anno 1581 servabatur in bibliotheca Sacri Conventus Assisii [1], nostris fortuito diebus in bibliotheca Vaticana reperto? Sic enim ab exeunte saec. XIV ad haec usque tempora fuit absconsus, ut, Mariano Florentino ac Rodulphio Tossinianensi forsan exceptis [2], quotquot sunt historici franciscani, ipse quoque Waddingus, suas de sanctis Ordinis primitivis notitias sint a compilatoribus intermediis mutuati.

Nihilominus antiquis non prorsus remansit ignotus. Eum legisse videtur fr. Thomas de Celano denuo s. Francisci vitam enarrans. *Dialogum* enim satis patenter commemorat, quando monet [3] se quoque mandatum accepisse « gesta » scribendi et confitetur se scilicet in-

---

[1] F. Ehrle, *Notizie sui ms. della Bibl. di S. Francesco in Assisi,* in *Miscell. francesc.,* II, 19; L. Lemmens, l. c. p. IX. [2] L. Lemmens, l. c. p. XXII sq. [3] In dicto prologo Leg. II^ae.

serere « quaedam... facta mirifica, quae ideo in Legendis dudum de ipso confectis non fuerunt apposita, quoniam *ad* auctoris *notitiam minime pervenerunt* » [1]. En quod eisdem se plane verbis excusat, quibus iterato *Dialogus* utebatur! Non tamen crediderim quod ab ipso habuerit, *De miraculis,* n. 117 et 60, bina prodigia Zanchati et Pesquitii operata, quae apud utrumque cum diversis circumstantiis exhibentur [2].

Unus etiam e primis fuit ille, qui seriem s. Antonii miraculorum exscripsit a Bollandistis iuxta quemdam anconitanum codicem publicatam [3]. Praeter enim prologum et addita duo miracula, quae directe proveniunt a Legenda incipiente *Assidua* [4], totum ibi ad verbum reportabatur ex *Dialogo,* solo materiae ordine aliquantulum immutato.

---

[1] Est ipsa formula auctoris *Dialogi,* qua utitur in fine sui prologi: « *Ad* ipsius *minime* potuere *notitiam devenire* », quamque repetit ultima sui pagina libri scribens: « Si cui ergo de transactis, quae *ad* meam *minime pervenere notitiam* ». [2] Cf. infra, pag. 273 et 253. [3] Acta SS., t. III iunii, ad diem XIII, Antuerpiae 1698, p. 718 sq. [4] Sunt miracula de puero Alberto et Massaguerra de Saccili. Ibid., p. 719, col. 2.

Alter exstitit auctor Legendae s. Antonii vulgo *Benignitas* designatae [1], quam post diem 9 aprilis 1317 quidam redegit anonymus. Istius loca litteraliter a locis *Dialogi* parallelis pendentia sunt haec octo: a) *ab ipsis ferme cunabulis... venustabat;* b) *dumque haec agerentur... reliquias detulisse;* c) *mira ipsius ineffabilis providentia... fructum;* d) *neque enim putaverant... coegisset;* e) *dispensante Domino... destinavit;* f) *igitur susceptum... praerogaret;* g) *nulla prorsus flectebat... opinio;* h) *longum proculdubio foret... impleverit.*

Deinde venit *Catalogus ss. Fr. Minorum* circa a. 1335 compositus. Loquens enim de fratribus fama sanctitatis praeclaris pluries utitur formulis propriis nostro *Dialogo,* quaedam insuper narrat alibi non reperta [2]: ex quo fonte cum omni verisimilitudine informationes desumpsit.

Quintus citandus est fr. Dominicus Bonaventura Fessis, b. Francisci Fabria-

[1] Cuius fragmenta publicavit L. de Kerval, *S. Antonii de Padua vitae duae,* Paris 1904; ibi loci citati leguntur p. 208sq., 210sq., 212sq., 213, 214, 215, 216sq.

[2] L. Lemmens, l. c. p. XIX; *Catalogus sanctorum fratrum Minorum,* Romae 1903, p. 12, 13, 15, 20, 23.

nensis nepos ex sorore sua Ioanna, qui vitam scribens avunculi prologum *Dialogi* plagiavit [1]. Suspicor cum Bollandistis, quod hic habeatur « generalis prologus ad miracula non tantum huius beati, sed plurium simul beatorum seraphici Ordinis, cum brevi de vita cuiusque synopsi in unum librum colligenda ». Unde fr. Dominicus, vestigia premens *Dialogi*, propositum habuisset novam compilationem de sanctorum fratrum miraculis efformare. Verum ad nos sola partitio de praedicto b. Francisco pervenit.

Si doctrinales expositiones excipias, quarum ne unam quidem ibi inveni, et capitulum de b. Rogerio Tudertino, *Dialogum* plenis manibus in libro *Conformitatum* rescripsit fr. Bartholomaeus Pisanus multoties ad litteram reportando, alias contrahendo [2]. Narranti

[1] *Acta SS.*, t. III aprilis, ad diem XXIII, p. 984 sq. Eodem egit modo circa a. 1320 fr. Bartholomaeus de Tolomeis, auctor vitae B. Luchesii, in qua prologum *Leg. mai.* S. Bonaventurae ad unguem est imitatus. Cf. *Acta SS.*, t. c., ad diem XXVIII, p. 597. [2] Cf. *Anal. francisc.*, IV, p. 240, 242 sq., 249-254, 261 sq., 278 sq., 282 sq., 289 sq., 293-295, 303, 321, 433, 453 sq., 516; pro S. Antonio speciatim, p. 264 sq., 268, 271, 272, 273.

etiam vitam S. Antonii, in qua nimium credulus falsa veris immiscet, *Dialogus* praebuit certo nonnulla, sicut videre est in diversis commatibus.

Scriptorem autem *Chronicae XXIV Gen. Min.*, qui Pisanum pluribus annis praecesserat, inter *Dialogi* lectores nequeo numerare. Illius duo utique « gesta » refert [1]. At ea certo non immediate ibi deprompsit; secus ratio non daretur, quare alia « gesta » nequaquam retinuerit et quomodo errorem adeo crassum de nomine auctoris proferre potuerit [2].

5. De Dialogi indole et natura.

Si quis demum interroget, unde *Dialogus* fortunam non habuerit meliorem, satis liber ipse, ut arbitror, respondebit. Ibi namque eximiae litterariae qualitates magnis, sicut haud raro conspicitur, obnubilantur defectibus: quale opus, talis eius et exitus.

Statim ab exordio sibi triplicem proposuit auctor finem. Primo historicum agere

[1] *Anal. francisc.*, III, p. 263 sq. et 267. [2] Ibid. p. 263 et 267. Cf. L. Lemmens, *Dialogus*, p. XIX-XXIII.

voluit. Sicut alii fecerunt « titulos antiquorum annalibus commendando », sic posteris de Minorum initiis transmittere documenta intendit. Quae tradit, utut nec ad cursum vitae spectant communem nec ad historiam proprie generalem, sed personas tangunt electas in illarum praesertim vita posthuma, summum tamen eo pretium habent, quod rerum franciscanarum historiographo constituunt fontem saepe unicum atque primarium. Utinam multa talia fratrum acta semper et ubique scripta fuissent!

Deinde culturam seu instructionem studet ac progressum legentium procurare, quatenus « adhibito vitae perfectioris speculo cibi validioris edulo roborentur ». Sic ergo virorum virtutis exemplis signorumque spectaculo debiles curat, sanos excitat et ad maiora promovet. Hoc totum duplici via constanter prosequitur: 1° mirabilia proponendo; in quo peccat sine dubio per excessum, plus quidem sic aestimans se facturum quam si conatus adhiberet in explicandis suorum heroum actibus virtuosis; 2° doctrinam solidam exponendo quoties « auditor » attentus proponit « quid stuporis aut dubii ».

Interim etiam apologetico modo procedit coram haereticis tunc temporis pullulantibus veritatem catholicam adstruendo. Eis igitur ostendit mirabilia magna, quae Deus per sanctos in Ecclesia non destitit operari, quae est veritatis columna. Hinc enim tot « gesta » narrat, tot discussiones movet circa capita oppugnata, tot denique obiectiones sibi titulo propositas « auditoris » responsionibus firmis et solide elaboratis eliminat, ut tandem vel « resipiscant », sanctitatem religionis christianae mirantes necnon et doctrinam eius dilucidam contemplantes, vel saltem taceant « mordaci dente compresso ».

Haec autem omnia exarantur stilo polito, compto, periodis arte laboratis, illo genere litterario quondam apud curiarum scriptores in usu, qui nomine « Cursus » auditur, probantque ideo auctorem huiusmodi scribendi generis optime fuisse expertem. Ipsum aliunde virum eximium ostendunt in difficultatibus solvendis dexteritas, in exponendis doctrinis et Bibliae textibus acuitas, in consiliis distribuendis prudentia.

Quibus non obstantibus, liber successum nonnisi mediocrem reportasse dicendus est,

et hoc, meo iudicio, tribus de causis. Inprimis fuit mirabilium abundantia nimis prolixa. Quid enim tot « gestis » opusculum adimplere? quid tam longis miraculorum columnis partitionem quamlibet aggravare, ex eis 44 s. Antonio, 43 b. Benevenuto, 55 b. Ambrosio, et sua cuique ceterorum fratrum largis manibus tribuendo? Nil hoc immoderatius, ne dicam taediosius. Istud certo non scriptorem effugerat, qui ad monotoniam aliquatenus vitandam, « ad tollendum fastidioso lectori stomachum », ut suo utar eloquio, processit per modum *Dialogi,* sic sperans quamdam varietatem creare.

Fuit insuper nimia sua parcitas in enarrando partem mere historicam vitae suorum heroum. Auctor noster certe fr. Thomae Celanensis ingenium non habebat. Quorumdam horum vita plena operibus, publicis officiis occupata non semel, itineribus variata, nonnullis capitulis ad historiam facientibus digna erat: sic illa s. Antonii, fratris Adae Rufli atque fratris Gulielmi de Cordella. Sed haec omnia scriptor omisit! Quam acutius et verius, immo quam utilius et iocundius egit Celanensis, nemo non videt.

Praeterea, nimia debet ipsi obscuritas imputari. Phrasis enim quo magis elaborata videtur, eo fit aliquoties difficillima intellectu, maxime quando scriptor explicationes dat theologicam doctrinam tangentes. Ad quam obscuritatem licet imperitia scribae codicis multum concurrat, ut infra dicetur, praecipua culpa est auctori, qui propter « cursum » servandum nimias inversiones seu torsiones suis periodis imposuit.

Libenter addam et aliud motivum, quare iacuerit quasi oblitteratus *Dialogus*. Remansit inter anonymos, ita quod vel ille eruditissimus antiquae historiae franciscanae collector, fr. Bartholomaeus de Pisis, qui plus ceteris illum manu versavit, nihil de auctore, nihil etiam de titulo nobis tradat. Si quis autem aliorum aliqua proferebat, falsa de hoc puncto dicebat, ostendens ideo se ne conspexisse quidem opusculum. Hinc, cum auctoris nomen verum vel suppositum saepissime totam faciat libri fortunam, nil mirum quod, attentis praedictis circumstantiis, in oblivionem devenerit fere completam.

6. De Dialogi fontibus et valore.

Si primo consideremus partes *Dialogi* doctrinales, satis eruditum se auctor demonstrat. Scripturae sacrae cognitionem, cuius aliquando textum interpretatur acute, facilem certe habet. Ex sanctorum patrum operibus, ut s. Ambrosii et s. Augustini, nonnulla legerat, quae ex originalibus aut e libris liturgicis vel etiam ex coaevis, ut P. Lombardo, Praepositino, Gulielmo Altissiodorensi, sumere potuit; prae aliis s. Gregorii libros *Dialogorum* intimius cognoscebat, quorum indolem conatus est imitari tam in delectu materiae quam in forma litteraria. Generatim illos formulis citat vagis, ut «iuxta sancti sententiam» (p. 57, 120), « teste sancto » (p. 8), « iuxta patrum sententias » (p. 57), « iuxta patrum orthodoxorum sententiam » (p. 95 et 126) etc. Theologorum sequitur opiniones communes, sicut videre est v. g. in quaestionibus de oratione [1] (p. 152), de scientia daemonum, de

[1] Cf. Gulielmus Altissiodorensis, *Summa*, III, tract. 8, c. 5, q. 3 (ed. Franc. Regnault, Paris. s. l. et a.).

revocatis ad vitam miraculose et de salvatis damnatisque sententia definitiva vel non [1] (p. 57 sq.). Veraciter potuit concludere, se « plerumque sententias seniorum consectatum » et quae « sanctorum sententiis aut doctorum dictis » concordare noverat, docuisse.

Cognovit insuper aliquas vitas sanctorum, s. Nicolai, s. Ioannis, s. Catharinae, ad quas lectorem amandat [2]. Sed si partem historicam propius adeamus, fontibus optimis usus est, quos claris indicat verbis ab exordio sui sermonis [3]: « Compingenda suscepi, inquit, ea potissimum, quae vel de mandato summi pontificis coram disquisitoribus deposita et examinatione testium diligenti pariter approbata sunt sive etiam fratrum nostri Ordinis adhuc superstitum veridica mihi relatione comperta ». En ergo duplex fons designatus: alius authenticus et solemnis, processus scilicet apostolici, si qui sunt ad manum, et alius privatus seu particularis, relationes scilicet scriptae [4] seu verbales fratrum adhuc viven-

[1] Ibid. I, c. 11, q. 5. [2] Pag. 65, 225. [3] Pag. 3.
[4] Inter quas nonnulla fuisse documenta notarialia, certum videtur.

tium. Pro « gestis » partium I, II et III primum principaliter adhibuit, pro illis partium IV et V secundum.

Cum b. Ambrosii processus adhuc servetur Urbeveteri, ex eo L. Fumi summarium publicavit [1], quod ad oculum probat auctorem nostrum quam fideliter laborasse, ubi aderant officialia documenta. Certe praesumendum est ipsum alibi fuisse nihilominus circumspectum, non omnia narrare quae audierat, sed seligere veriora, certiora producere. Ipsemet fatetur [2] « ex auditis et lectis aliorum fratrum gestis multa scienter ac prudenter omisisse ». Iam prius loquens de visionibus dixerat sapienter [3]: « Quia plerumque magna solet in talibus ludificatio daemonum exerceri, praetermissis multis et variis, pauca quaedam haec, quae certissima fratrum mihi sunt narratione comperta, referam ».

Post tales declarationes absit, quod audeam somnia vel peius quid proclamare facta quae narrat. Ex eis duo Celanensis, unum

---

[1] Ap. *Miscell. francesc.*, I, p. 77 sq.: *Processo della canonizzazione del B. Ambrogio da Massa.* [2] Pag. 299. [3] Pag. 252.

s. Bonaventura, non haesitaverunt ponere inter miracula s. Francisci [1]. Non est revera, cur in dubium revocentur; secus, ut sagaciter in casu simili monet idem s. Bonaventura [2], « pari ratione in dubium venit quidquid legitur in Legendis aliorum sanctorum ».

7. De Dialogi relatione ad Legendam primam s. Antonii.

Iam dixi *Dialogi* partem de s. Antonio in processu canonizationis fundari. Id velim intelligi, non quod illo proprie tunc usus sit auctor, sed quod ad ultimum inde suae proveniant informationes. Nam immediate innititur huius sancti prima Legenda, quae incipit verbo *Assidua;* haec quidem iuxta documenta disquisitorum processus est scripta [3].

Illud certissimum fiet, si stabiliatur *Dialogum* pedetentim inniti Legendae, et hoc ipsam

---

[1] Cel., *Tract. de mirac.*, n. 60 et 117; S. Bonav., *Leg. mai., De mirac.* VI, n. 7. [2] S. Bonav., *De perf. evang.* q. 2, art. 2, *Replicatio,* § 4. [3] Hanc ultimo edidit L. de Kerval, l. c., pag. 23-114, ad cuius editionem semper refero praesentis paragraphi citationes.

simpliciter breviando [1] necnon stilum ad leges cursus strictius reducendo.

Solis quidem exceptis miraculis sub num. 36 et 44, quae desunt in Legenda, reliqua omnia *Dialogi* inveniuntur ibidem; at e converso plura tacet *Dialogus*, quae leguntur in ipsa. Sic gesta Forlivii et apud Campum s. Petri, sic circumstantias sepulturae canonizationisque, sic diversa miracula praetermittit, verbis tamen introductoriis ad partem miraculorum utens [2] ex capitulo 27 Legendae aperte desumptis. Cetera vero, quae diffusius narrat Legenda, paginis paucis complectitur, intentionem non semel palam faciens transcurrendi: « Ad ultima vitae eius gesta, inquit [3], stilo compendii manum vertam »; et: « Multa... brevitatis causa subticeo ». Qui enim promiserat « pauca quaedam de vita et moribus in modum praefatiunculae summatim praelibando perstringere », haec illius sufficiebant proposito.

Alterum auctoris scopum fuisse, ut stilus iuxta leges perfectior poliretur, inde patet,

---

[1] Alii hoc idem optime iam viderunt: sic L. de Kerval, l. c. pag. 4, sic P. Van Ortroy, *Anal. Bolland.*, XXIII, 386.
[2] Pag. 27. [3] Pag. 15 et 27.

quia « cursum », ubi deficiebat, restituit phrasim aliter disponendo. De hoc abundant exempla cuilibet collationem utriusque textus facienti indubia. Placet haec pauca notare apud *Dialogum : Vixisse laudabile comprobatur* (p. 8), *more solito advenissent* (p. 9.), *senioris imponunt* (ibid.), *compulit vel invitum* (p. 10), *agere potuisset* (p. 13), *librorum sibi vicem memoria ministraret* (ibid.), *mysteriis exponendis* (ibid.), *de Scripturis quidquam nosse divinis* (ibid.), loco istorum quae Legenda praebebat: *Vixisse laudabile est* (p. 28), *quam saepe veniebant* (p. 30), *citius imponunt* (p. 31), *compulsus remearet* (p. 33), *redire potuisset* (p. 37), *memoria pro libris uteretur* (p. 40), *mysteriis Scripturae* (ibid.), *quidquam de Scripturis nosse* (ibid.). Sic ad finem usque documentorum amborum collationem continuare possemus.

Verum attentius inspicienti cito apparebit ea esse unius auctoris. Dicitur in *Dialogo* [1]: « Novi de his multa per visum, sed pleraque me recolo, fide dignis testibus referentibus, audivisse »; prius dictum fuit in Le-

[1] Pag. 7.

genda: « Nonnulla scribo, quae oculis ipse non vidi; domino tamen Sugerio secundo... et aliis viris catholicis referentibus, haec ipsa cognovi ». Sic, nisi agatur de insigni plagiario, se prodit manus identitas. Haec prius in prologo *Dialogi* se declaraverat aequipollenter [1], quando scilicet auctor asseruit, se non tractaturum de s. Francisco, quia Legenda ipsius sit « olim a fratre alio iam descripta ». Ex talibus nullo modo licet concludere ipsum Legendam s. Antonii non habuisse, sed bene et logice sequitur solum, quod haec non sit « a fratre alio iam descripta » [2]. Porro, si non est ab alio, ergo... est ab eodem.

Et revera una et eadem persona se utrobique multipliciter manifestat: *a)* in specialiorum verborum usu frequentissimo, *b)* in formulis usitatis aeque frequenter, *c)* in nonnullis locis speciatim, *d)* in prologis et epilogis.

Finem non facerem, si quotquot occurrunt huiusmodi verba, vellem notare, qualia sunt:

---

[1] Pag. 6. [2] Hisce apparet auctorem ut plagiatum aufugisse defloration em operae Celanensis; cum ergo altera sine scrupulo usus sit, hanc ut suam considerabat.

cumque, ecce, fore, foret, hinc, nimirum, et ista: *aptus, arbitror, constitutus, ductus, salutaris, sicque, spopondit, praediximus.* Haec tantum indicabo: *cultor, Leg.* pag. 41, 46, *Dial.* pag. 13, 14, 16, 24, 75, 190, 243; *e vestigio,* L. p. 31, 105, D. p. 55; *e vicino,* L. p. 50, 79, 89, 96, D. p. 9, 22, 50, 158; *humanitatis,* L. p. 51, 70, D. p. 74, 155, 275; *iconiam,* L. p. 104, D. p. 55, 143, 145; *inflectere,* L. p. 46, D. p. 17, 16, 256, 220; *lacessere,* L. p. 46, 65, D. p. 19, 156, 257; *loquacitatem,* L. p. 25, D. p. 221; *praeambulo,* L. p. 111, D. p. 65, 111, 234, 276; *suffragio,* L. p. 40, D. p. 13, 47, 81, 105, 111, 145, 229, 232.

Inter formulas notabo: *ab incoepto desistere,* L. p. 45, 62, 64, 76, D. p. 17, 18, 19, 221, 255; *attonitisque luminibus,* L. p. 56, 105, D. p. 247; *audivitque vocem,* L. p. 85, 97, D. p. 29, 42, 264, 282; *confessione facta,* L. p. 42, 56, 91, 92, 106, 107, 110, 74, D. p. 22, 62, 64, 274, 283; *consilio pariter et auxilio,* L. p. 66, 62, D. p. 254; *divino nutu,* L. p. 44, 80, D. p. 10, 61, 36; *dum adhuc viveret,* L. p. 46, 61, 67, 89, D. p. 24, 50, 95, 119, 129, 169, 190, 195, 226; *fusa oratione,* L. p. 98,

99, 100, 101, D. p. 135, 48, 221; *insequentes praecedentis vestigia,* L. p. 72, 85, D. p. 29, 276, 285, 297; *in consequentiam trahendum,* L. p. 109, D. p. 295; *manum convertimus,* L. p. 43, D. p. 15; *nec sic vox neque sensus,* L. p. 104, D. p. 55, 181; *speciem praeferebat,* L. p. 57, 73, D. p. 181, 214, 236, 248, 24; *nec silendum puto,* L. p. 49, D. p. 14, 137; *verum quia,* L. p. 44, 46, 53, 51, 62, D. p. 8, 15; etc. etc.

Multis aliis omissis, has placet adhuc referre dictiones. *Leg.* p. 59: *Sic, sic nimirum* communis omnium dolor; p. 75: *Sic, sic nimirum* ordinatis. *Dial.* p. 11: *Sic, sic nimirum* providentia Dei; p. 298: *Sic nimirum* necesse est; p. 239: *Sic nimirum* de salute concessa... Vere sunt typicae!

Ex locis allegatis specialiter citandi sunt: ille Isaiae, XXXV, 5, qui refertur in *Leg.* p. 71, et in *Dial.* p. 52; iste I Ioan. I, 1, qui legitur in *Leg.* p. 74, et in *Dial.* p. 121; tertius[1] Eccli. XXXVI, 7, qui habetur in *Leg.* p. 74 et in *Dial.* p. 4. Item quae scribuntur in *Dial.*

[1] Insuper utrobique alluditur ad Iudaeos Ierusalem reaedificantes. *Dial.*, pag. 19; *Leg.*, pag. 71 et 73.

p. 74: « Litteras namque, cum non didicisset, ignorans, virtutem litterae plus opere quam sermone monstrabat », iampridem erant in *Leg.* p. 30, sub verbis fere eisdem. Insuper notetur utrobique auctori familiaris iste modus citandi: *ipso teste*, *Scriptura teste*, etc. *Leg.* p. 24, 28, 37, 40, 109, *Dial.* p. 38, 8, 25, 52, 150, 189, 205, 211, 272, 275, 295, qui vere characteristicus dici debet [1].

In prologis etiam et epilogis utriusque operis sunt verba multum affinia quoad sensum. Sic utrobique auctor loquitur « posteritati fidelium », *Leg.* p. 23, *Dial.* p. 1; utrobique timet ne accusetur quod « minus dixerit », *Leg.* p. 24, *Dial.* p. 298; utrobique gaudet si aliis dederit « occasionem » iterum scribendi, *Leg.* p. 115, *Dial.* p. 72, 298. Adde quod in prologo Legendae duo tantum fines scribendi delineantur: aedificatio fidelium et gloria Dei; in *Dialogo* tertius, scilicet apologeticus, additur eisdem duobus.

[1] In utroque opere ille iam a. 1221 dicitur « *minister generalis* », qui S. Francisci vices gerebat in Ordinis regimine, et quem Celanensis ac S. Bonaventura « *vicarium* » invariabiliter appellant. *Leg.* p. 34 et 35, *Dial.* p. 12.

Sic ergo luce clarius patere potest eumdem scripsisse *Dialogum,* qui prius scripserat Legendam s. Antonii; in qua quidem libros *Dialogorum* s. Gregorii probat iam tunc temporis sibi usuales fuisse, illos in istius prologo memorando [1] et haud semel ad litteram utrobique reddendo. Eadem est utrinque cultura et eius expressio litteraria, eadem psychologia de sanctis et methodus plane deficiens in eorum actibus explicandis.

8. De Dialogi relatione ad Chronicam fr. Thomae de Papia.

Vane inquisitum fuit usque modo, quis sit iste auctor. Propositis diversis nominibus, sed tandem prorsus exclusis, quaestio censebatur insolubilis, cum nec traditio historica nec ipsa duo opera aliquid offerant, quo possit sufficienter absolvi [2]. Necessarium igitur erat alia via procedere. Hanc mihi feliciter aperuit

[1] Ait enim: « Sic B. Gregorius *Dialogum,* Petro interrogante, conscribit ». [2] Cf. L. Lemmens, l. c. p. XI-XV.

subsequens prologus *Chronicae imperatorum et pontificum* [1], quam scribebat anno 1278 fr. Thomas de Papia:

« Scripturi gesta imperatorum sublimium necnon et pontificum romanorum brevitatem ac prolixitatem devitare concupimus, eo quod brevitas nimia nubilum obscuritatis inducit et famem desideriumque sciendi non minuit, sed intendit: sicut si aliquis multum esuriens modicum in cibum assumat, non famem extinguit, sed excitat potius et intendit; et ipsa prolixitas nimia debito moderamine non frenata fastidium legentibus saepe parit: quia et a nimium famescente superfluus cibus sumptus nauseam generare probatur. Nos ergo inter paucum et nimium via media incedentes, et dicemus utilia, quantum expedire videbimus, et superflua relinquemus. Nam nimia brevitate sunt usi plerique, qui chroni-

[1] Consului Cod. Bibl. Nat. Parisien. lat. 6815, fol. 111r-178v, quo etiam usus est E. Ehrenfeuchter ipsam ex parte edens in *Mon. German. hist., SS.* XXII, pag. 490-528. Duo alii codices servantur Florentiae, Bibl. Laurentiana, S. Croce, Plut. 21 sin. n. 5 et 7. In Cod. Parisien. deest pars pontificum, in codd. vero florentinis haec est incompleta.

cas conscripserunt; sed prolixitatis vitium ut plurimum incurrerunt, qui conscripserunt historias. Itaque, invocato Deo, ab Octaviano Caesare, qui primus universale Romanorum est dominium assecutus, sub quo et mundi Salvator Christus pontifex noster summus est temporaliter de sacratissima Virgine natus, narrationis nostrae initia capiamus».

In isto prologo plura occurrunt digna notatu: 1° perfecta observantia «cursus», qui etiam in tota Chronica communiter applicatur, sicut fiebat in *Dialogo;* 2° vox «gesta», quae statim ab initio se offert et quam toties adhibet *Dialogus;* 3° eaedem praeoccupationes scriptoris ne lectorem aggravet et eadem quandoque verba: sic studet «brevitati» (*Dial.* p. 2, 7, 72, 132, 299), virum scire cupientem comparat «esurienti» (*Dial.* p. 160, 89), cuius vult praecavere «fastidium» (*Dial.* p. 5, 152, 226, 299), quod sentiret aliquid accipiens «in cibum» (*Dial.* p. 227), si sumeret «superfluum cibum» [1] (*Dial.* p. 226); quibus dictis, aggreditur suae «narrationis initia» sicut *Dialogus,* p. 7, sui «sermonis initia»

[1] Cf. L. de Kerval, l. c., p. 53, 114.

sumpserat [1]. Affinitas quaedam hinc et hinc iam patens videtur.

Sed opportunum erat inquirere, num exsistat etiam in corpore Chronicae. Quod quidem ita fauste successit, ut immo pluribus locis ipsa plenissime roboretur; ex quibus nonnulla seligam magis ad rem.

Chron., f. 150 r 2: Quid evenerit praetermittendum non *arbitror*; f. 128 v 1: Quia de Maximiano Galerio... satis, ut *arbitror*, dictum est Cod. florentinus, Laurent. S. Croce, Plut. 21, sin. 5, f. 10 v 1: Illud *arbitror* esse tenendum. — *Dial.* p. 21: Cautius *arbitror* occultasse; p. 120: Unam inter ceteras fore *arbitror* specialem; p. 174: Apud Deum obnoxios *arbitror*. Cf. p. 186, 226, 245, 254, 261, 288, 295, 59. P. 126: *Arbitror* hoc tenendum.

Chron., f. 164 v 2: Et in his omnibus *divinam* nobis est ostendere *maiestatem*. — *Dial.* p. 5: Dum *divinae* quodam modo vestigium *maiestatis*... concerno; p. 152: Supradicta igitur *divinae* opera *maiestatis*; p. 152: Quod honori *divinae maiestatis* adiungant.

[1] *Dial.* p. 19: « Ad *narrationis* seriem recurramus »; p. 102: « Rogo ut *narrationi* tuae... insistas »; p. 110: « Seriem inchoatae *narrationis* assume ». Cf. p. 143, 160, 168, 211, 214, 220, 297, 299.

Chron., f. 125 v 1 : *In quibusdam Chronicis antiquis memini me legisse.* — *Dial.* p. 58 : *nullos tamen permansisse meminimus ;* p. 99 : *me saepius audisse meminerim ;* p. 199 : *me memini audivisse ;* p. 238 : *supra dixisse te memini ;* p. 259 : *me memini contigisse ;* p. 295 : *memini contigisse ;* p. 297 : *nisi fallar, memini me legisse ;* p. 151 : *meminerim... respondisse.*

Chron., f. 127 r 1 : *Non recolo me legisse ;* f. 141 v 1 : *nam et recolo... a patre meo me audivisse.* — *Dial.*, p. 7 : *Me recolo... audivisse ;* p. 19 : *supra dixisse me recolo ;* p 66 : *me recolo reperisse ;* p. 87 : *supra dixisse te recolo.*

Chron., f. 127 v 2 : *Tam in dono clementiae quam in fidei pietate.* — *Dial.*, p. 40 : *Fidei pietas meruit ;* p. 252 : *cum... pietate fidei ;* p. 252 : *salva fidei pietate ;* p. 255 : *refert ad fidei pietatem ;* p. 142 : *fidei consulit pietati ;* p. 204 : *fidei pietate colere ;* p. 259 : *licèt pietate fidei.*

Chron., f. 168 r 2 : Per quemdam provincialem *Ordinis nostri* [1]. — *Dial.*, p. 2 : Quosdam

[1] Cod. Bibl. Laurentianae, S. Croce, plut. 21, sin. n. 5, fol. 98 v 1 : *Et ego* nostri Ordinis *fratres vidi utique homines fide dignos.* Cf. *Dial.* p. 7, 268, 292.

Ordinis nostri fratres; p. 6: fratrum *nostri Ordinis;* p. 75: fratrum *nostri Ordinis;* p. 136: fratre quodam *nostri Ordinis;* p. 189: fratribus aliis *nostri Ordinis;* p. 195: praesentibus fratribus *nostri Ordinis;* p. 245: per fratres *nostri Ordinis;* p. 253, 259, 268, 299.

Chron., f. 122r 2: Quod credendum *puto* de ceteris; f. 127r 1: sicut *puto* est dedicatum; f. 165v 2: praetereundum esse non *puto.* — *Dial.,* p. 14: Neque *puto* silentio transendum; p. 137: nec *puto* silentio transeundum; p. 244: *puto* quia praerogativam aliquam.

Chron., f. 124r 1: Gloriosam victoriam paene *antiquorum* omnium *titulis* praeferendam sunt consecuti. — *Dial.,* p. 1: Dignosque memoria *titulos antiquorum;* p. 299: sancti patris Francisci *titulos;* p. 299: si cui ergo de... futuris etiam fratrum *titulis.*

Chron., f. 168v 2: Hic ergo de ipso nostri *sermonis* sit de praeteritis gestis *finis.* — *Dial.,* p. 299: Et hunc ergo *sermonum* mihi *finem* constituam.

Non quidem nego quin haec verba vel formulae possint apud alios scriptores inveniri, sed earum, quarumdam praesertim, usum

seu frequentiam in utroque opere credo esse novum indicium non utique spernendum ac praesumptionem facere multum favorabilem pro identitate auctoris.

Omnibus his addatur, quod fr. Thomas, positus aliquando coram narrationibus sibi adversis, illas refert et postea conciliare conatur formulis sibi specialibus. Sic, f. 127 v 2, occasione Constantini imperatoris scribit: « *Sed utrumque potuit verum esse* »; deinde, f. 129 r 2: « *Posset etiam esse quod...* ». Sic alibi, f. 134 r 1: « *Sed utrumque potest esse verum quod...* »; et iterum, f. 141 v 1: « *Verisimile satis erat et probabiliter dici potest, sed posset etiam satis dici quod...* »; rursus f. 168 v: « *Satis videtur probabile quod... sed satis, ut arbitror, potest de talibus excusari, quia* ». — Tali modo se gesserat in similibus circumstantiis auctor *Dialogi;* sic p. 89: « *Potuit ergo fieri ut...* », et p. 186: « *Potuit enim fieri ut...* », et adhuc clarius p. 295: « *Potuit igitur utrumque sic fieri ut...* ».

Tandem de Traiano tractans, eamdem omnino profert assertionem fr. Thomas de resuscitatis ad tempus ac auctor noster, p. 70 et 187 sq. Ait enim, f. 122 r 2: « Credo quod re-

suscitatus vivendo quantumcumque poenitendo meruit salutem: quod credendum puto de ceteris resuscitatis ab inferis ».

In ultimis *Chronicae* suae capitulis, in quibus totus est auctor in factis contemporaneis stilo proprio recitandis, illud etiam adest in *Dialogo,* nominatim in particula *De visionibus fratrum,* patens studium mira narrandi, immo se prodit quasi eisdem terminis aliquando. Sic, victoria Caroli regis in Conradinum relata, subicit f. 168r 1: Unum *hic* referam, *quod non extimo fore tacendum: nam* in Prato Piceno Tuscie *duo erant fratres;* et f. 167r 1: Unum *hic* referam *admirandum.* In *Dialogo* formula similis occurrebat; p. 275: *Quiddam* refero... *in castro namque...* accidit autem, ut *duo fratres;* p. 253: *Pauca quaedam haec...* REFERAM: *in castro namque;* p. 121: Unum *ecce ad medium deduco;* p. 68: Unum *exempli causa commemoro;* p. 66: Non minoris quiddam miraculi referam, *quod;* p. 115: *Num verbi causa* unum referam.

Conceptus igitur, verba, phrases, ingenium hinc et hinc constat frequenter identica. Porro eam similitudinem haud connotant, qua unum opus alterius imitatio simplex dici valeat aut

ex illo citationes solum praebere. Unum potius ad aliud collatum ex communiter contingentibus supponit, ni fallor, unicum esse auctorem sic proprio stilo utentem quod nequiverit post 33 annos exuere suum primum modum exarandi scripturas.

9. De Dialogi relatione ad " Bovem „ fr. Thomae de Papia.

Praedictas considerationes, etsi de se satis efficaces, concedo non haberi nisi ex ipsis collatis operibus easque nullo testimonio fundari extrinseco. Illas tamen sic magis ac magis, nova collatione *Dialogum* inter et aliud eiusdem fr. Thomae opus instituta, spero corroborare atque fulcire, quod, hoc non obstante, penitus obviabitur difficultatibus quae possent occurrere. De sua ergo magna compilatione theologica, quam ad usum praedicantium scriptam « *Bovem* » appellavit, nunc argumentum sumo[1].

[1] Sub forma *Distinctionum* procedit haec compilatio, et quidem ordine alphabetico, quemadmodum aliae fr. Mauritii, fr. Arnaldi Royardi, fr. Nicolai Biard, etc. Ibi quaestiones

Iamvero inter *Bovem* et *Dialogum,* si littera consideretur, eaedem apparent similitudines ac affinitates, quas inter istum et *Chronicam* exsistentes iam inveni. Licet enim auctor parum sit hic in stilo ornando, cum constructio stricte litteraria minus intendatur et textus maxima sui parte citationibus constet biblicis, tamen non desunt verba seu phrases, quibus tam operum affinitas quam scriptoris identitas innuuntur. Pauca proponam exempla [1], certus

non moventur more scholastico, sed tractatus est potius moralis et ei aptatus, qui debet annuntiare « *vitia et virtutes, poenam et gloriam* »; ibi relucent perfecte methodus et systema, quibus informabantur in Italia fratres praedicatores temporis primitivi. Illius exemplaria duo servabantur olim inter codices Bibl. conv. S. Francisci Senarum sub nn. 391-395. Cf. N. Papini, *L'Etruria francescana,* Siena 1797, p. 131. Alia duo vel tria plus minusve completa recenter invenit Florentiae, Bibl. Laurentiana, S. Croce, Plut. 28 sin. codd. 2, 3, 5, 6, 4 et 9, et Plut. 29 sin. cod. 1, R. P. Ephrem Longpré, O. F. M., qui quam cito ea continere opus fr. Thomae genuinum invicte probabit in *Arch. franc. hist.* t. XVI. Eius amicitiae debeo, quod potuerim illis codicibus uti ad meam thesim novis argumentis stabiliendam definitiveque, ut spero, propugnandam.

[1] Exempla citata pro maxima parte sumuntur ex Distinctionibus sub v. *Antichristus, ignorantia, signa,* quas auctor suo stilo proprio plus aliis signavit.

quod, si quis in adeo voluminoso libro per longius tempus inquisierit, plura inveniet.

Sub verbo *Revocatio* legitur: « Sunt ministri, guardiani et custodes, et horum est renovare potestatem exercendo iudicia severitatis et aequitatis ». *Dial.* p. 107: « Facta severitate iustitiae divini iudicii aequitas... solet epunire ».

Sub v. *Oratio* provocatur ad « exempla Christi et sanctorum tam *veteris* quam *novi Testamenti* ». Idem fit in *Dial.* p. 196 sq. qui addit, p. 5: « Saepe, fateor, gloriosos *novi ac veteris Testamenti* patres... », et p. 57: « Quamquam multos *novi ac veteris Testamenti* paginis... », et p. 60: « Tam in *veteri* quam in *novo* colligitur *Testamento* ».

Sub v. *Ignorantia* dicitur: « Mihi videtur dicendum, salvo *meliori iudicio*... », et infra: « Haec ultima dicta sint *sine praeiudicio* »: item sub v. *Signa:* « Haec dicta sunt *sine praeiudicio melioris sententiae* »; et sub v. *Antichristus:* « Dixi, tamen *sine praeiudicio,* in tractatu *De signis* »; et infra: « Et haec de templo et Antichristi sessione dicta sint *sine praeiudicio sententiae melioris* »; iterum sub v. *Sol:* « Sentio aliud, quod tamen *sine praeiudicio melioris sententiae* lectorem

audire volo ». Porro *Dial.* habet, p. 57: « Absque *praeiudicio sententiae melioris* credimus arbitrandum », et p. 232: « Paratus semper *sententiae* cedere *meliori* », et p. 288: « Salvo *iudicio* [*sententiae*] *melioris* », et p. 186: « *Arbitror* et de ipso *sine praeiudicio melioris sententiae* contendendum ». Cf. supra p. XXXIX.

Sub v. *Antichristus:* « De hoc dicemus infra, si poterimus aliquorum *sanctorum* vel *doctorum* super hoc *sententias* reperire ». *Dial.* p. 298: « *Sanctorum* certe *sententiis* aut *doctorum* dictis [1], nisi fallar, memini me legisse ». Cf. p. 151.

Sub v. *Antichristus*: « *Puto* tamen quod se ipse Deum non credet », et infra: « Nec praetermittendum *puto* quod dicit Augustinus »; et sub v. *Ignorantia:* « *Puto* enim quod purum ius civile vel canonicum purum non obligat conscientiam ad culpam », et infra: « *Puto* quod si omnino involuntaria [ignorantia] omnino excusat »; et sub v. *Signa:* « Talia signa *puto* Antichristum facturum ». Cf. supra pag. XLI.

---

[1] *Chronica,* f. 176r 1: « Nostris pontificibus datur exemplum, ut vana et frivola scripta eliminent, quę *sanctorum eloquiis* non firmantur ».

Sub v. *Antichristus:* « Qui sint isti montes nivei, *ignoro,* nisi quia... », et infra: « Quo autem anno et quibus signis praecedentibus veniat, *ignoro* », et infra: « De quo autem regno proditurus sit, *ignoro* », et ibidem: « Utrum haec spiritu suo vel spiritu divino dixerit, penitus *ignoro* ». *Dial.* p. 59: « Utrumne quisque etiam talium ad merendi statum sit reversus, *ignoro* »:

Sub v. *Antichristus:* « *Utrum* autem ista signa ad litteram ventura sint », et: « *Utrum* autem verum vel falsum dixerit... », et adhuc: « *Utrum* autem illis tribus annis aliquis... », et iterum: « *Utrum* autem Antichristus interficiatur a Christo... scire difficile est » (cf. *Dial.* p. 59, 126, 231). *Dial.* p. 176: « *Utrumne* sanitas corporis aut membrorum », et p. 294: « *Utrum* tamen eius fides aut fratrum certe necessitas hoc meruit... ».

Sub v. *Antichristus:* « *Tutum* credo (cf. *Dial.* p. 70) nemini de hoc loquenti fidem adhibere ». *Dial.* p. 65: « Nec *tutum* esse confirmo ».

Sub v. eodem: « *Unum* tamen hic ponere volo (cf. supra p. XLIII), quod *fuisse verum non dubito* ». *Dial.* p. 270: « *Verum esse* recolit », et p. 295. « Ut enim magnam... Deo curam *inesse non dubites* », et p. 275: « Quod ut *verum esse non dubites,* factum quoddam... enarrabo ».

Sub v. *Ascensio:* « Et sic *potest dici quod...* »; et sub v. *Antichristus:* « *Poterit ergo esse ut* Helias primo veniat »; et sub v. *Resurrectio*: « Sic forte *potest dici* de Ioanne (cf. *Dial.* p. 225), in cuius sepulcro dicitur nihil apparuisse nisi manna ». Cf. supra, p. XLII.

Ecce quomodo modus loquendi sic similis est iterum in utroque scripto, quod unicum auctorem ita loquentem vehementer faciat suspicari. Tot et talia verba, tot et tales phrases, licet ex eis aliqua possint apud duos haberi de factoque habeantur, non videntur posse excogitari per diversos exarata auctores aut de uno in alterum derivata.

Verum mea demonstratio copiosior evadet firmiorque, si monstravero partes *Dialogi* doctrinales optime respondere partibus in *Bove* parallelis. Et revera sic est, ut statim apparebit; proinde sequetur ipsasmet expositiones morales omissas in editione prima validissimum ad quaestionem de auctoris nomine solvendam praebuisse argumentum. Quanti refert aliquando textus antiquos integros possidere! En igitur thematum quaedam specimina.

Sub v. *Ignis:* « Igne tribulationis quidam mali... humiliantur... ut alii eorum exemplo peccare formident, Ezech. XXVIII: *Producam ignem de medio tui, qui comedat te, et dabo te in cinerem super terram in conspectu omnium videntium te* ». = *Dial.* p. 166. Cf. p. 219, 220.

Sub v. *Illudere:* « Illudit diabolus homini. dum delectabilia suggerit... spinis coronando; quod fit quando hominem decipit per amorem divitiarum, quibus quasi spinis caput mentis cruentatur et laniatur ». Et sub v. *Operimentum:* « Urticae voluntates, spinae cupiditates designant, quia ill[as] vere istae lacerant [1]. = *Dial.* p. 211 sq., 218.

Sub v. *Laceratio:* « Laceratio praedicantium, qui lacerant per reprehensionem vitia aliorum: quod significatur, IV Reg. II, quando duo ursi egressi de saltu laceraverunt quadraginta duos pueros, qui Heliseum deriserunt dicentes: Ascende, calve. Per pueros peccatores designantur pueri-

[1] Sub v. *Terebinthus:* « Eccli. XXV: *Tres species odivit anima mea et aggravor valde* in eis: *pauperem* professione *superbum* elatione cordis, iactantia oris, habitu vestis et gestu corporis, et *divitem* divitiarum et deliciarum procuratione... ». = *Dial.* p. 211 sq.

liter viventes, qui Heliseum derident dicentes: Ascende, calve, quia Salvatorem contemnunt, qui in Calvaria crucem pro ipsorum salute ascendit ». = *Dial.* p. 160, 17.

Sub v. *Percutere:* « Percutit angelus bonus hominem excitando ad bonum, Act. XII: *Angelus Domini astitit, et lumen refulsit in habitaculo carceris, percussoque latere Petri excitavit eum.* Petrus in carcere peccator in peccato, cui angelus assistens, refulgente a Deo lumine gratiae praevenientis, percutit latus, id est cor, suggerendo et excitando ut peccatum deserat et bonum faciat ». = *Dial.* p. 262.

Sub v. *Pigritia,* descriptis pigritiae malis, ait: « Propter ista peccata et alia que de pigritia nascuntur, dicitur, Prov. XXIV: *Per agrum pigri hominis transivi et per vineam viri stulti, et ecce totum repleverant eum urticae et operuerant superficiem eius spinae* ». = *Dial.* p. 219.

Sub v. *Ponere:* « Ponit Deus iustos in Ecclesia ut sint conformes... Filio per praedicationem veritatis, Isai. XLI: *Posui te quasi plaustrum triturans novum habens rostra serrantia, triturabis montes et comminues* etc. Glossa: Vir ecclesiasticus habet rostra serrantia praedicationis in plaustro novo, quia non operatur in vetustate

litterae, sed in novitate spiritus, conterit incredulorum corda durissima, separans triticum a palea etc. ». = *Dial.* p. 14.

Sub v. *Patientia:* « Informantur videntes ad patientiam; ideo Tobiae patientia in tribulatione manifestatur, ut detur aliis exemplum patientiae, Tob. II: *Hanc temptationem ideo permisit Dominus evenire illi, ut daretur posteris exemplum patientiae* ». = *Dial.* p. 176 sq.

Sub v. *Scandalum:* « [Scandalum] facti boni vel dicti, ut ille qui scandalizatur quia aliquis veritatem [doctrinae] praedicat, quia veritatem vitae servat, quia veritatem iustitiae promulgat [1]. Tunc distinguendum: quia si est veritas vitae sine qua non est salus unquam, vel veritas doctrinae necessariae ad salutem, ut est doctrinae fidei credendae cui contradicitur, tale bonum non debet dimitti propter scandalum ». = *Dial.* p. 293.

Sub v. *Tentatio:* « Tentat Deus hominem ut probet, id est ut probabilem vel improbum esse ostendat. Cum enim solus Deus noscat utrum homo diligat eum vel non, saepe Deus illum qui non cognoscitur ab hominibus vel a seipso ten-

[1] Sub v. *Falsitas* ait: « Ista triplex falsitas opponitur triplici veritati: vitae, doctrinae et iustitiae ».

tat, ut probetur homo et cognoscatur qualis sit, Deut. XIII: *Tentat vos Dominus Deus vester ut palam fiat utrum diligatis eum annon* ». = *Dial.* p. 240.

Sub v. *Angelus:* « Habemus enim impotentiam respectu mali culpae quam commisimus, a qua exire impotentes sumus, nam *est spiritus* [*vadens*] *et non rediens,* Ps. LXXVII. A quo defectu liberat angelus de errore peccati peccatorem educendo. Quod significatur, Act. XII, in liberatione Petri a carcere Herodis per angelum. Ubi angelus illuminat rationem, ut peccator peccati statum cognoscat: *Adstitit ei angelus Domini et lumen refulsit in habitaculo carceris;* secundo percutit affectum, ut de offensa Dei doleat: *Percussoque latere Petri,* inquit; tertio effectivam inanimat ad satisfaciendum et exeundum de peccato: *Surge,* inquit, *et calcia te caligas tuas* etc... Ab hoc defectu liberat angelus adversis potestatibus resistendo et nos tuendo; et hoc significatur, Exod. XIV, quando angelus Domini post tergum stetit inter castra Aegyptiorum et castra Israel... [Respectu mali] poenae, per quam a malis hominibus boni exercentur, quam poenam boni sustinere non possunt sua virtute, I Cor. X: *Fidelis Deus, qui non patitur vos tentari supra id quod*

potestis, sed faciet cum tentatione proventum ut possitis sustinere. Contra hoc est ministerium angelorum in tribulationibus consolando et eas mitigando, Dan. III: *Angelus Domini descendit cum Azaria et sociis eius in fornace et fecit medium fornacis quasi ventum roris flantem* ». = *Dial.* p. 261-263.

Sub v. *Fabricatio:* « Fabricat diabolus vasa irae contra bonos, Ysai. LIV: *Ecce ego creavi fabrum exsufflantem in igne prunas et proferentem vas in opus suum* ». Idem redit sub v. *Quare.* = *Dial.* p. 100.

Sub v. *Medicus:* « Huic medico debetur reverentia et credulitas, Eccli. XXXVIII: *Honora medicum propter necessitatem;* obedientia, eodem: *Da locum medico,* etc.; remuneratio ». Idem redit sub v. *Sanitas.* = *Dial.* p. 205.

Addam adhuc, sub v. *Tempus* textus accumulari biblicos ad quaestionem moralem, de qua tractatur in *Dialogo,* p. 286 sq.; quae iterum tangitur sub v. *Terebinthus,* ubi etiam S. Francisci religio sicut hic eius primitiva schola designatur, sic: « Amor proprius vetustas est mentis, amor fraternus novitas cordis, Ezech. XXXVI: *Dabo vobis cor novum et spiritum novum ponam in medio vestri.* Sine hac novitate est homo insensa-

tus, id est sine sensu compassionis et discretionis. Hos in religione b. Francisci maxime odit Deus superbos, divites et incompassivos: superbos contra Deum, divites pro se et incompassivos aliis ».

Praeterea, sub v. *Antichristus* et v. *Signa*, ubi tradit eamdem ex professo doctrinam circa daemones ac in *Dialogo*, p. 35 sq., maximam occasione Ioachimitarum et Antichristi quem ipsi annuntiabant proximum ostendit prudentiam, de qua multiplex est etiam argumentum in *Dialogo* [1]. De visionibus namque dicitur ibi, p. 252: « Plerumque magna solet in talibus ludificatio daemonum exerceri » [2]; in *Bove* autem, sub v. *Antichristus:* « Hoc assero quod scripta eius [sc. Ioachim] plures stultos et mendaces ostenderunt », et: « Tutum credo nemini de hoc loquenti fidem adhibere »; et sub v. *Somnium:* « Nisi certissime sciatur quod sint ex revelatione, periculosum est et malum somnia curare », et: « Hodie credo multa talia somnia immitti per daemones sanctis etiam viris, ut illudant eis ».

---

[1] Cf. verbi gratia p. 12, 25 sq., 57 sq., 65, 67, 126, 142, 175 sq., 204 sq., 231 sq , 240, 243 sq., 258, 280 sq.

[2] Ibid. p. 19: « Conicio quia servis Dei ad discretionem spirituum prudentia magna opus sit ».

Alia non dubito posse citari [1], quibus aeque pateret in duobus libris auctorem easdem materias eodem tractare modo, similes textus citando, similes in mente versando praeoccupationes, animi culturam similem ostendendo. Sed haec satis sint.

10. De Dialogi auctore.

Iam tempus est concludendi. Nobis utique deest argumentum externum quodcumque, i. e. testimonium alicuius scriptoris antiqui. Verum ipsa loquuntur opera supra omne dubium authentica, *Chronica* scilicet et *Bos*, fr. Thomae de Papia.

a) In *Bove* capitula, quibus ipse proprio calamo personalem instituit materiae expositionem, formulas continent speciales et characteristicas, proinde sibi familiares et quasi naturales, quae iterum inveniuntur in *Chronica* et saepius occurrunt in *Dialogo*.

b) In *Bove* capitula, quibus stilo proprio minus utens materiae alicuius divisiones introducit, postea Bibliae seu aliorum citationes

[1] Sic sub v. *Oliva* longius citatur Legenda s. Nicolai, sicut et diversis in locis *Dialogi* ad eam fit allusio.

adducit, frequenter themata textusque biblicos ipsius *Dialogi* continent, themata quidem eadem mente tractata textusque simili modo applicatos.

c) Eadem personalitas moralis se declarat in tribus operibus, in *Bove* praesertim et *Dialogo*. Ibi enim scriptor aliquando severus, sed natura bonus, doctrina solidus, in consiliis et iudiciis summe discretus, in miraculis autem, prophetiis et visionibus quocumque alio prudentior apparet.

Praedictis omnibus bene discussis, licet sint argumenta mere interna, i. e. sola operum collatione fundata, audeo dicere quod multa cum probabilitate *Dialogus* sit eius, qui scripsit et *Bovem* et *Chronicam*. Hinc et hinc idem, meo certe iudicio, se prodit homo, et nescio vere an multi sint auctores, quorum scripta, secluso testimonio expresso, talem praesumptionum fasciculum in sui favorem praebeant qualis nunc habetur [1].

[1] His ergo, tamquam merum corollarium, plenum insirul habes responsum ad quaestionem P. Fr. Van Ortroy, *Anal. Bolland.*, XXIV, 1905, 308, de Vita Ia S. Antonii disserentis: *Quand donc la lumière se fera-t-elle sur l'auteur de ce précieux document primitif?* Cf. supra, § 7.

De ipso vero Fr. Thoma Salimbene parmensis, eius amicus, notitiam tradidit magni momenti, quam hisce placet inserere. Narrata siquidem morte Philippi ravennatis archiepiscopi († sept.-oct. 1270), cuius ultimam confessionem audivit Pistorii frater Thomas, addit [1]:

« Fuit autem Fr. Thomas de Papia sanctus homo, et bonus et magnus clericus, et lector in theologia Parme et Bononie et Ferarie multis annis. Antiquus erat in Ordine fratrum Minorum, sapiens et discretus, et vir boni et sani consilii. Familiaris homo fuit, alacer, humilis atque benignus, et Deo devotus, et predicator gratiosus atque solempnis. Multis annis minister provincialis fuit in Tuscia. Cronicam magnam fecit, quia multum abundabat et erat prolixus. Fecit etiam tractatum sermonum. Fecit similiter magnum opus in theologia et multum diffusum, quod pre sui magnitudine *Bovem* appellavit [2]. Provinciam Tuscie ad bonos mores reduxit. Multum fuit amicus meus, quia multis annis in conventu Ferariensi habitavi cum eo ».

---

[1] Edit. P. Holder-Egger, ap. *Mon. Germ. hist.* SS. XXXII, 429 sq. [2] De quo supra, § 9.

His constat, praeter locum originis fr. Thomae, id est Papiam seu antiquum Ticinum in Lombardia: 1° quod fuerit theologus, non qualiscumque, sed satis eminens, cum multis annis docuerit et in theologia scripserit magnum opus; 2° quod fuerit historicus aeque valens, utpote auctor *Chronicae* satis diffusae; 3° quod fuerit hinc vir sapiens, discretus et sani iudicii, hinc vero multum abundans et prolixus. Quae omnes notae adamussim verificantur in auctore *Dialogi*, qui se probat theologum simul et historicum, loquacem quidem et diffusum, sed nihilominus summe prudentem rectoque ornatum iudicio.

Si autem propius ad suam *Chronicam* attendamus, plura addi possunt illustrantia vitam eius. Papiae pueritiam transegit[1]: « Huc usque, inquit, sunt posita ut audivi Papiae, dum adhuc puer essem, a senioribus terrae ». Si plenam meretur fidem quaedam notitia quam tradit de terraemotu a. 1222[2], forsan XV non excedebat annos aetatis quando fuit electus Gregorius papa IX (19 mart. 1227). Circa

[1] Cod. lat. 6815 Bibl. Nat. Parisien., fol. 161 v 2.
[2] Cod. florent. Plut. 21 sin. n. 5, fol. 111 v 2.

a. 1229 in Ordinem Minorum receptus, Paduae vidit ea quae acciderunt occasione funeris s. Antonii, quae sic ut testis ocularis potuit enarrare [1]. Anno 1245, circa quod tempus scripsit *Dialogum*, concilio interfuit Lugdunensi qua socius fr. Bonaventurae de Yseo, vicarii ministri generalis Crescentii [2]. Multum postea peregrinatus est. Ivit in Romaniam a. 1253, quando « diebus pluribus cinis pluit... sicut ego ipse oculis vidi [3] »; in Dalmatiam, ubi videtur invisisse Salonam et Spalatum [4]; in Illyricum, ubi conspexit principium murorum exstructorum a Romanis ad Barbaros removendos [5]; Pragam, ubi legit quamdam historiam Boëmorum [6]; Coloniam, ubi vidit sepulcrum trium regum magorum [7]; in monasterium s. Mauritii seu Agaunense, ubi plura de gestis Burgundorum [8] audivit.

---

[1] Istud fundatur in superius expositis, § 7, eumdem scilicet esse auctorem Legendae *Assidua* S. Antonii et *Dialogi*. Cf. supra, p. LVII, nota 1. [2] Cod. cit. 6815, fol. 130r 2. Erat ergo curiae generalitiae membrum, in qua scribae munera tunc implebat. Quo supposito, clarius elucet quod ipsi minister generalis *Dialogi* compositionem praeceperit. [3] Fol. 146r 1. [4] Fol. 127r 1. [5] Fol. 142v 2. [6] Fol. 170r 1. [7] Fol. 162v 1. [8] Fol. 156v 1.

Ut minister provinciae Tusciae, quam rexit « multis annis » iuxta Salimbene, i. e. « ab anno 1258 ad a. 1270 » iuxta clarum N. Papini [1], interfuit capitulo generali Parisiis anno 1266; ibi tunc plura didicit de Carolo I Siciliae rege [2] et forsan ea quoque quae narrat de Christiano Belvacensi canonico [3], e numero adversariorum Mendicantium baccalarioque magno, qui legendo Sententias errorem Cerinthi docuerat. Qua minister Tusciae multa habuit tractanda cum praedicto Carolo [4], in cuius castris moratus est aliquando: hinc familiaritatem quamdam cum eo contrahens, illius libenter retulit gesta praeclara.

Suorum tractatuum series probabilis est haec ad praesens: 1° Legenda s. Antonii, quae incipit *Assidua;* 2° *Dialogus* nunc editus; 3° Opus in theologia, vulgo *Bos* dictum; 4° Tractatus sermonum [5]; 5° *Chronica imperatorum et pontificum.*

---

[1] *Index onomasticus scriptorum franciscanae familiae,* n° 3881. Cod. II. II. 181, in Bibl. Nation. Florentiae. [2] Fol. 168 v 1. [3] Fol. 123 r 1. Cf. H. Denifle, *Chart. Univ. Parisien.*, I, n. 280, nota 8, et n. 317. [4] Fol. 168 v. [5] Hunc tractatum, de quo supra loquitur ipse fr. Salimbene, esse opusculum *De arte concionandi,* quod in

Fuit igitur fr. Thomas inter sui temporis fratres cultura, doctrina necnon et officiis insignis, proinde dignus ut illis, qui Minorum illustrarunt Ordinem, numeretur. Obiit autem inter a. 1280 et 25 iunii a. 1284, post quam diem Fr. Salimbene eius exarabat elogium [1].

11. De Dialogi traditione manuscripta.

Novae editionis *Dialogi* textum ex solo codice noto constitui. Re quidem vera quasi statim ac iste in bibliotheca Vaticana repertus est, fama

---

introductione ad sermones S. Bonaventurae, *Opp. omnia,* t. IX, p. 8-21, legitur, suspicatus est P. Ephrem Longpré, O. F. M., et quidem omnino recte. Suam coniecturam possum novis corroborare indiciis, illius collatione facta cum *Dialogo.* Notavi utrobique fieri sermonem *a)* de *modernis, Dial.* p. 2, *Ars,* n. 21; *b)* de *machinamentis diaboli, Dial.* p. 258, *Ars,* n. 22; *c)* de *recidivo, Dial.* p. 239, *Ars,* n. 16; *d)* de *medico, Dial.* p. 205, *Ars,* n. 16; *e)* de dictione *maius esse recreare quam creare, Dial.* p. 54, *Ars,* n. 40. Quin etiam est ibi consilium vitandi taedium auditori, *Ars,* n. 29 et 32, aliaque viri multum prudentis, *Ars,* n. 40. Tandem adiciam auctorem verbis *sicut patet alibi,* n. 48, nos remittere probabiliter ad *Bovem,* ubi sub v. *Quadraginta, Quatuor, Quinque,* agit de quibusdam « *numeris famosis in theologia* ». [1] Cf. *Mon. Germ. hist.,* l. c. pag. 430, not. 3; R. Davidsohn, *Forschungen zur Geschichte von Florenz,* IV, Berlin 1908, p. 359-62.

pervolavit alium a D. Paulo Sabatier fuisse inventum: «Clarus Sabatier, inquit P. Lemmens [1], certiores nos reddidit se alterum *Dialogi* codicem iam invenisse», itemque L. de Kerval [2] hoc repetivit; at P. Fr. Van Ortroy hoc in dubium potius advocavit [3]. Cl. autem Sabatier, postquam textus novus typis iam compositus est, litteris interpellatus, pro sua comitate respondit, se codicem alterum revera anno 1902 prae manibus habuisse, sed illum neglexisse, quia de textu nuper edito ageretur, sicque codicem illum sibi modo ex oculis evanuisse.

Cod. 347 Musei Borgiani, nunc in bibliotheca Vaticana depositus, est ipsemet, ut dixi, qui prius in bibliotheca Sacri Conventus Assisiensis exstabat, sicut patet ex inventario a. 1381 [4]. Porro sic describitur a P. L. Lemmens [5]: «Est codex pergamenus (175×130, fol. 152) circa 1300 in Italia scriptus charactere illo quo in libris ad usum publicum destinatis usi sunt, a scriba linguae latinae parum perito; quare multi et irreparabiles calami lapsus in

[1] *Dialogus*, p. x. [2] *S. Ant. de Padua vitae duae*, p. VIII. [3] *Anal. Bolland.*, XXIII, 384. [4] L. Alessandri, *Inventario dell'antica biblioteca del convento di S. Francesco in Assisi*, Assisi 1906, p. 92, num. cc. [5] *Dialogus*, p. x.

ipso habentur ». Quasi nullae sunt correctiones. Textum et rubricas eadem manus scripsit. Alia coaeva posuit in marginibus superioribus titulos partitionum, ut sunt: *De beato Antonio de Padua, de beato Benevenuto qui iacet in Corneto,* etc., sicut et quaedam loca Bibliae, f. 98 v, 99 v et 127 r; aliae multo posteriores addiderunt, f. 1 r, titulum qui deerat: *Dialogus sanctorum fratrum Minorum,* f. 110 v, rubricam marginalem: *De b. Hermanno fulginate,* et f. 122 v, illud: *Iacet Baruli.*

Ex inscitia scribae multi vereque gravissimi lapsus calami acciderunt, ut cuique notas legenti patebit, quos in partitionibus praesertim doctrinalibus corrigere difficultatis quandoque summae erat. Ibi tanta erat aliquoties propter omissionem verborum aut eorum corruptionem vel etiam constructionem phrasis complexam obscuritas, ut sensus investigatio laborem improbum exigeret. Haec vero difficultas plene vinci non potuit, nisi data copia codicis saltem alterius; qua non habita, lector benevolus imperfectionem laboris praestiti excusabit [1].

[1] Pag. 1, lin. 16, lege *LXVII* pro *LXVI;* p. 2, l. 17: *compingenda* pro *compigenda;* p. 18, l. 19: *arce* pro *arte;*

12. De ratione praesentis editionis.

1° *Dialogum* integrum, i. e. cum suis partibus historicis et doctrinalibus, sicut est in codice romano, edere volui.

2° Punctuationem et generatim orthographiam ad modum hodiernum reduxi; sic et nomina propria scripsi, quando erant cognita, secus ut iacent ea volui remanere.

3° Verum cum non semel in eis auctor ipse aut scriba forma utantur italica, mutationem, quando fuit locus, indicare curavi.

4° Errores, qui non pendent a sola orthographica quaestione, nota semper addita corriguntur.

5° Ad quos corrigendos usus sum in primis contextu verborum; aliquando, scriptura etiam inspecta, datum fuit invenire quomodo scriba potuit errare signa sui exemplaris pa-

---

p. 20, l. 23, pone punctum cum virgula post *cohibebat;* p. 25, l. 11, lege *alieni* pro *alicui;* p. 45, l. 16: *imperfectione* pro *inperfectione;* p. 134, l. 19: *paupertate divitias* pro *paupertatem pro divitiis;* p. 159, l. 11: *quam recte iusti* pro *quam iusti,* p. 245, l. 4: *saepe* pro *seapse;* p. 288, l. 20, ante *melioris* suppleatur *sententiae.*

laeographica vel abbreviationes non intelligens aut imperfecte reddens: in quo casu criticam sic dictam coniecturalem adhibui; alias et praesertim in fine commatum, leges *Cursus,* quas auctor stricte sibi proposuit applicare, maximi fuerunt auxilii.

6° Haec tria media seu regulas, insimul aut separatim, cordi fuit prae oculis habere atque servare, speciatim quoties debui verba supplere omissa: quod, quam feliciter plerumque successerit, ex notis in calce paginarum positis abunde probatur.

7° Duo genera notarum in ima pagina saepe occurrunt. Quae numeris exprimuntur, citationes Bibliae vel SS. Patrum seu quid ad historiam pertinens referunt; signatae vero litteris *a, b, c, d, e, f, g,* variantes et correctiones tam in codice (= C) quam in editione prima P. Lemmens (= L) repertas seu factas indicant; additum *om.* significat ibi tale verbum fuisse omissum.

Quem igitur admodum pauci legerunt, libeat iam cuique tractatum percurrere. Non certe tanti ponderis est et pretii, sicut optandum fuisset. Studio tamen pio conceptus et arte quadam conscriptus, fontes inter prima-

rios historiae franciscanae computari meretur, immediate quidem post primitivas s. Francisci Legendas ac illas s. Antonii; ad *Vitas* etiam *fratrum* Gerardi de Fracheto O. P., quas praecedit, collatus, has methodo, sobrietate auctoritateque facile superare videtur.

Grati demum animi sensus promere non omittam erga dilectos Collegii S. Bonaventurae confratres, qui mihi in hac editione paranda modis variis adsistebant.

P. Ferdinandus M. Delorme, O. F. M.

Ad Claras Aquas, 16 novembris 1922.

Dialogus

DE GESTIS SANCTORUM FR. MINORUM

PROLOGUS.

* In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. * *f. 1r.*
Amen.

Venerabilium gesta patrum dignosque memoria titulos antiquorum studio [a] pietatis annalibus commendare fructum utilitatis plurimae posteritati fidelium consuevit afferre: primum quidem, ut *omnium Artifex* [1] et virtutum altissimus operator *in sanctis suis* maiestate *mirabilis* [2] praedicetur; alterum autem, ut fides tenera parvulorum experimento [b] sensibili provocata virtutum infirmioris aetatis pocula desuescat adhibitoque

[a] C *studia.* [b] C post corr.

[1] Sap. VII, 21. [2] Ps. LXVI, 36.

sibi vitae perfectioris speculo cibi solidioris edulo roboretur [1]; postremum vero, ut haereticae pervicacia pravitatis, quae veritatis agnitae radios livoris nubilo nititur obumbrare, patrum decedentium vita laudabili signorumque prodigiis obtestata [a] spretis erroribus resipiscat in catholicae fidei unitatem, aut certe ringentis invidiae mordaci dente compresso perfidae caecitatis angustiis interclusa tabescat.

Eapropter et ego, tametsi *inutilis servus* [2] Christi, * ad divinae gloriam maiestatis et laudem mira virtutum opera, quae per [b] sanctos suos quosdam Ordinis nostri fratres in diversis mundi partibus exhibere dignata est omnipotentia Conditoris, obedientia reverendi patris ministri generalis, fratris scilicet Crescentii, praeceptrice, veritate praevia praesenti opusculo compigenda suscepi, ut habeat pia fratrum devotio gestorum seriem stilo compendii coarctatam gaudentesque brevitate modernos sermo succinctus exacuat ad divinae laudis iudicia propensiori studio devotius admiranda. Nec sane singula quaeque virtutum illorum insignia toto paene ter-

* *f. 1v*

[a] C post corr. [b] C om.

[1] Cf. I Cor. III, 1, 2. [2] Cf. Luc. XVII, 10.

rarum orbe diffusa duxi praesentibus exaranda, sed ea potissimum, quae vel de mandato summi pontificis coram disquisitoribus per sedem apostolicam delegatis fideli narratione deposita et examinatione testium diligenti pariter approbata sunt ac per manum publicam [a] annotata, sive etiam fratrum nostri Ordinis adhuc superstitum veridica mihi relatione * comperta. Libet insuper in * f. 2r
initio partitionis cuiuslibet propositi operis pauca quaedam de vita illorum et moribus in modum [b] praefatiunculae [c] summatim praelibando perstringere, quatenus declaratum perfectionis specimen aemulatores suos exemplo virtutis invitet et signorum fidei, quae nequaquam *fidelibus, sed* incredulis data noscuntur [1], probata vitae sinceritas suffragetur.

Ad tollendum denique fastidioso lectori stomachum et uberiorem audiendi gratiam religiosis auribus afferendam, duorum fratrum personas ad invicem conferentium more d i a l o g i ad medium deducentes, unum narrantis vice proponimus et alterum audientis: quatenus, si quid stuporis aut dubii rerum gestarum veritas enarrata conduxe-

[a] C *pubricam.* [b] CL om. *i. m.* [c] L *praefatiuncule.*

[1] Cf. I Cor. XIV, 22.

rit auribus infirmorum, quaestione vicaria vere [a] sacrae Scripturae legibus ostendatur accommodum nec quidquam omnipotentiae creatrici fore [b] difficile, sed divinae capax gratiae fides adsit credula disciplinae.

* *f. 2v* **Narrator.** *Multifarie multisque modis* * *olim Deus* immensae *potentiam* [c] maiestatis et *divitias gloriae suae* manifestans *patribus* ac *prophetis, novissime diebus* nostris [1] consopitae quodam modo fidei somnum satagens excitare, post stupenda priscorum patrum magnalia *mirabilium suorum memoriam* afferens, *signa* renovat et miranda potenter immutat [2]. Dum enim nostri temporis quosdam homines simili nobis mortalitatis carne vestitos, quosdam vero sorte sibi felicitatis assumptos, inauditis dudum saeculo miraculis efficit coruscare, quid aliud in praedestinatorum [d] cordibus operatur [e] manus potentissima Redemptoris, nisi quod praerogatione mira-

[a] C *ve* cum spatio vacuo. [b] L *facere*. [c] CL *potentiae*. [d] C *predistinatorum*. [e] CL om.

[1] Hebr. I, 1, 2; Rom. IX, 22, 23. [2] Ps. CX, 4; Eccli. XXXVI, 7.

bili signorum praesentium roboratur et alitur [a] iam promissa fidelibus exspectatio futurorum? Nempe enim, licet *fides rerum substantia sperandarum* ea [b] sui parte meritis vacuata caecutiat, qua [c] *persuasibilibus humanae sapientiae* nititur argumentis [1] ac experimento [d] sensibili provocata signis potius acquiescit [e] quam scriptae pridem *semelque traditae* veritati [2], in hoc tamen divina providente [f] clementia senescentis fidei vegetatur infirmitas in pusillis, quod * iuxta firmum evangelicae promissionis edictum [3] in validioribus membris Ecclesiae usque in finem saeculi contributa potestas ac virtutum gratia perseverat. * *f. 3r*

Auditor. Saepe, fateor, gloriosos novi ac veteris Testamenti patres, quorum nobis per scripturam gesta transmisit antiquitas, alta mentis contemplatione considero et in ipsa virtutum eorum admiratione deficio, dum divinae quodam modo vestigium maiestatis in illorum actibus et verborum potestate concerno. Sed velim mihi, carissime frater, ad aedificationem praesentium et augendam in posterum fidem teneram renato-

[a] L *aliter*. [b] L *ex*. [c] CL *quasi*. [d] C post corr. [e] L *acquiescat*. [f] L *divinae providentiae*.

[1] Hebr. XI, 1; I Cor. II, 4. [2] Iud. 3. [3] Cf. Matth. XVI, 18; Luc. XXII, 32; Ioan. XIV, 12.

rum, aliqua [a] vel breviter de virtutibus et miraculis fratrum nostri Ordinis enarrari, ut, auditis conversationis illorum insigniis, quantum mihi perfectionis desit, agnoscam et ad imitationem fidei ac virtutis ipsorum pro meae modulo possibilitatis aspirem [b].

Narrator. De beatissimi quidem patris nostri Francisci moribus aut virtutibus nolo me, frater, interrogando detineas ad alia festinantem, quippe cum non solum vitam eius et opera, quae
* *f. 3v* gessit in carne nobiscum * conversatus, verum etiam ea, quae cum Christo regnans operari non desinit, olim legisse poteris exserte satis ac studiosissime a fratre alio iam descripta; quamquam sane scriptorem ipsum multa latuerint de miraculis dicti patris, quae vel distantia regionum ad ipsius minime potuere notitiam devenire, vel certe prae multitudine nimia serie praetermissa subterfugerint stilum eius, nobis autem interim sicut expertis sunt cognita [c]. De his fratribus colloquendi [d] sumus exordium accepturi [e], quorum gesta, licet inferiori auctoritatis culmine, fama celebrior divulgavit [f]; miranda tamen admodum ac piis auribus reverenda sunt valde ipsa, quae narro.

[a] L *aliquid.* [b] C *aspicerem.* [c] CL om. *s. c.* [d] C *colloquendis.* [e] CL om. [f] CL *divulgaverit.*

I.

De beato Antonio de Padua.

Auditor. De famosi nuper in Italiae partibus valde viri, sancti scilicet Antonii fratris nostri, gestis pariter et miraculis audire desidero, si qua nosti.

Narrator. Novi nempe de his quae postulas, frater, multa per visum, sed pleraque me recolo fide dignis testibus referentibus audivisse; * de quibus certe pauca quaedam brevitatis causa perstringam, si benevolum, sicut asseris, ac devotum te praebeas auditorem. * f. 4r

Auditor. Ne, rogo, me protrahas ultra tui sermonis initia praestolantem, quia vehementer anhelat animus auditum coeptae collationis accinctus.

Narrator. Beatus iste, de quo quaeris, Antonius, natione hispanus, ulixbonensis exstitit municeps civitatis. Qui, nobiliori genere in eadem

quam praediximus civitate progenitus, ab his ferme cunabulis quodam praesagio futurorum moribus exornabat aetatem. Traditus namque studiis liberalibus imbuendus, cum aetate iam nubili subcrescentibus in carne corruptionis motibus se praeter solitum sentiret illicite perurgeri, adolescentiae et voluptatis iura transcendens, spretis litterarum studiis, ad monasterium quoddam sancti Augustini dictae civitati proximum convolavit canonicique regularis habitum humili devotione suscepit.

* *f. 4v* Ubi cum annis paene duobus commoratus * amicorum frequentiam et parentum piis mentibus importunam Christi tirunculus tolerasset, natale solum, quod ad enervandos viriles [a] animos fomitem subministrat, derelinquere statuit et uberioris amore quietis ad coenobium sanctae Crucis de Colimbria [b] feliciter transmigravit. Verum quia, teste Sancto [1], non Ierosolymis stetisse, sed ibidem bene vixisse laudabile comprobatur, ita se disciplinis regularibus adaptare curabat, ut non tam loci quam morum translationem se cunctis ostenderet celebrasse. Non mediocri

[a] C *vireles.* [b] C *Colibia.*

[1] S. Hieronymus, *Epist.* LVIII, n. 2 (Migne, PL 22, 530).

autem studio Scripturarum sanctarum [a] semper ingenium exercebat; nec diebus aut noctibus iuxta congruentiam temporis a colloquiis divinis aut oratione cessabat. Ita demum lecta tenaci memoriae sollicitus commendabat, ut brevi temporis spatio doctrinae gratia mereretur affluere mira cunctis scientia Scripturarum.

Dumque, sicut diximus, agerentur ista, contigit virum quemdam regali stirpe progenitum, qui et Petrus Infans nomine dicebatur, fratrum quorumdam nostri Ordinis reliquias a Marochio deportasse, quique meritis eorumdem se [b] mirabiliter * liberatum per omnes Hispaniae fines * *f. 5r* fama celebri praedicabat. Quod ut aures Antonii attigit, mox accingens zelo martyrii renes suos ad Ordinem fratrum Minorum totis viribus aspirabat, et conceptum sui pectoris crebris orationibus ac ieiuniis Christo propositum commendabat. Cumque die quadam fratres Minores e vicino coenobii commorantes eleemosynae petendae gratia more solito advenissent, data fiducia quod ad terram Saracenorum ipsum mitterent, sancti Francisci habitum in ipso monasterio viro Dei, vix obtenta licentia senioris, imponunt.

---

[a] L *sacrarum*. [b] C om.

Fervens igitur amore martyrii dum transmissus a fratribus Marochium properaret, maiora de ipso summus Arbiter ordinans intentata febre virum acrius flagellabat et ob recuperandae sanitatis gratiam ad terram nativitatis suae redire compulit vel invitum. Cumque, navigio mari credito, disponeret in Hispaniam remeare, ventis flantibus contra votum divino nutu compulsus
* *f. 5v* est in Siciliae partibus applicare *.

Auditor. Miror valde quod narras, cur videlicet Omnipotens, verus *agnitor cordis* [1] eius et perfectionis tantae benignissimus inspirator, non solum ipsum a proposito sibi martyrii gaudio frustrari permisit, verum etiam ad ignotas gentium ac terrarum partes peregre destinavit.

Narrator. Si gesta Doctoris gentium diligenti consideratione discutimus, cur non valde mirandum sit quod te mirari asseris, invenimus. Qui enim, *protestante* sibi per ora fratrum *Spiritu* quod eum *tribulationes et vincula Ierosolymis commanerent* [2], ipse nihilominus zelo fidei concitatus ad eandem ultro se ingerit cruciandum; disponente tamen Domino, martyrii gloriam quam quaerebat ad tempus invenire non potuit, quin

[1] Eccli. VII, 5. [2] Act. XX, 23.

etiam ad romanae urbis terminos terra marique iactatus advenit. Sic quippe voluntatis ipsius et actuum moderator Deus holocausta piae intentionis eius *in odorem suavitatis* [1] accipiens, oblationem prompti spiritus acceptavit. Quid tamen rei publicae civitatis * suae per ipsius vitam utilius militaret, propositi ac votorum eius dilatione monstravit: dum enim tribunali Caesaris pro defensione fidei athleta fortissimus applicatus, quod in paucis orbis partibus verbo docuerat, quantum expediebat Ecclesiae opere prosequente firmarat; dum praedicationis suae novella plantaria salutaribus monitis et epistolis, quantum rudibus in fide necessarium fuerat, irrigarat. Ideoque, sicut de se sibi postmodum Dei plenius cognita voluntate Philippensibus [2] ipse scribens: *Coarctor*, ait, *e duobus: desiderium habens dissolvi et esse cum Christo multo magis melius* reputans, *permanere autem in carne necessarium* aestimo *propter* fratres; sic, sic nimirum providentia Dei nostri viri sancti huius vota quidem beneplacita *vultus sui aequitate* [a] [3] discernens ad metendos in posterum fructus fidei ampliores conceptum

* *f. 6r*

[a] C *equitatem.*

[1] Eph. V, 2. [2] Philip. I, 23. [3] Ps. X, 8.

mentis eius propositum salubri dilatione suspendit, quatenus vita ipsius in Italiae partibus sanctae matris Ecclesiae fetibus utilius cederet quam in
* *f. 6v* obstinatorum terra gen-*tilium effusio sanguinis eius profecisset ad fidem.

Auditor. Periculose nimis, ut video, ab indoctis et rudibus de abyssis divini iudicii disputatur, qui exteriora tantum et humanis sensibus pervia facta seu dicta considerant nec causarum merita iusti libraminis examinatione discernunt. Sed quia dubitationi meae manifesta video ratione responsum, precor, ut coeperas, viri tanti mihi facta prosequendo commemores, quibus etiam postmodum quantum Christi Ecclesiae vita eius utilis exstitit non abscondas.

Narrator. Ea nempe tempestate, qua diximus virum sanctum in Siciliae [a] partibus applicasse, generale capitulum Ordinis contigit apud Assisium celebrari. Quo cum ex more cum fratribus aliis Antonius pervenisset, mittente ministro generali, in provinciam Romaniolae destinatur. Ubi cum multo tempore solitariam vitam degens in loco, qui eremus Montis Pauli dicitur, moraretur, carnem prorsus coegit servire spiritui, *pa-*

[a] C *Cecilie.*

nem tantum *in pondere comedens et aquam bibens* pariter *in mensura;* ita quoque *maxillam* * carnis orationis et vigiliae necnon et abstinen- * *f. 7r*
tiae salutaris *freno constrinxit* [1], ut, cum saepe campana vocante a cella sua ad fratres ceteros redire cuperet, nonnisi fratrum manibus prae [a] debilitate nimia supportatus, id ullatenus agere potuisset.

Humilitatis vero cultor assiduus in tantum studuit fastum arrogantiae declinare, ut, cum tantae foret industriae quod librorum sibi vicem memoria ministraret et eloquii mystici gratia copiosus affluueret, peritiorem tamen eum fratres noverant in suppellectilibus coquinae lavandis quam Scripturae sacrae mysteriis [b] exponendis; neque enim putaverant eum fratres de Scripturis quidquam nosse divinis, uno tantum praesumptionis suffragio confidentes magni aliquid extimabant, quia vel raro litteraliter eum loqui audierant, cum necessitas exegisset [c]. Tandem autem, dispensante Domino, viri Dei scientia fratribus innotuit, qui *lucernam* gratiae *super candela-*

---

[a] L *pro.* [b] C *ministeriis.* [c] C *exigisset.*

---

[1] Ezech. IV, 16; Ps. XXXI, 9.

brum praecepit collocari, ad evangelizandam sui
‹ *f. 7v* *nominis gloriam* cultorem eremi desti-*navit [1].

Susceptum igitur *opus evangelistae fidelis servus et prudens* [2] tam efficaciter exhibere curavit, ut requie sui corporis penitus abnegata, per civitates, vicos ac castra discurreret *arguendo* incredulos, *obsecrando* pios et pigros pariter *increpando* [3], ac sicut affluentissime, ita etiam ferventissime congruentia singulis doctrinae monita praerogaret [a]. Nulla prorsus eum flectebat *acceptio personarum* [4], nulla favoris humani vel aurae popularis opinio demulcebat, sed iuxta sermonem propheticum [5] *quasi plaustrum triturans novum rostra* gerens *serrantia montes* terrenae sublimitatis vomere [b] praedicationis *comminuit* atque *colles*, status scilicet inferioris populos, more *pulveris* comminando detrivit.

Neque puto silentio transeundum, quod, cum apud Ariminum civitatem primo cursus sui tempore [c] praedicaret, haeresiarcham unum, Bonellum

[a] L *prorogaret.* [b] CL om. [c] C *cursum sui temporis*; L *cursu sui temporis.*

[1] Matth. V, 15; Ps. LXXVIII, 9. [2] II Tim. IV, 5; Matth. XXIV, 25. [3] II Tim. IV, 2. [4] Rom. II, 11. [5] Is. XLI, 15.

nomine, ad veritatis viam Christo praeeunte convertit. Nempe enim talia tamque profunda de Scripturae sinibus abditis facundo * eloquio eructabat, ut ab ipso Christi vicario familiari quadam praerogativa gratiae specialis *Arca testamenti foederis* vocaretur. * f. 8

Verum quia longum foret [a] per singula virtutum eius insignia cursitare, quotque provincias sive quantas verbi Dei semine terrarum partes impleverit, enarrare, ad ultima vitae eius gesta, quaeque virtutum illius evidentiora declarant experimenta, stilo compendii manum vertam.

Tempore namque capituli generalis, quo beati patris Francisci reliquiae sunt translatae Assisii [b], generalem a ministro Ordinis libertatem praedicationis accipiens ad civitatem Paduae, Christo duce, pervenit. Cernens igitur tempore quadragesimali *sermonis ostium aperiri* [1] ac ministerio verbi insistere arbitrans opportunum, continuato quadraginta dierum numero populo *poenitentiam praedicavit in remissionem peccatorum* [2]. Qui, licet corpulentia naturali quadam pressus continua insuper aegrotatione langueret, ob infatiga-

[a] C *fovet.* [b] CL *Assisium.*

[1] Col. IV, 3. [2] Marc. I, 4.

bilem tamen animarum zelum praedicando, docendo, confessiones poenitentium audiendo ab ortu
* *f. 8v* solis ad occasum * usque perdurans semetipsum ieiuniis macerabat.

Ceterum quia virtutis aemulus humani generis inimicus bonis [a] actibus nititur obviare, initio quadragesimae memoratae Dei servum tentans a proposito salutis inflectere, nocte [b] quadam, cum se sopori dedisset, guttur eius comprimens suffocare conatus est. At ille, gloriosae Virginis Matris Dei nomine suppliciter invocato, fronti suae signum crucis impressit; cumque vadentem cernere [c] cupiens oculos aperiret, ecce tota cella, in qua iacebat, luce coelitus illustrata fulgebat. Quod nimirum lumen viri Dei cellae idcirco credimus auctoritate divina collapsum, ut ex praesentia claritatis [d] infusae Christi servus agnosceret superni muneris donaturum, et ipsius radios tenebrarum cultor ferre non sustinens confusus ac trepidus [e] dispareret.

Auditor. Liquet certe quod spiritibus reprobis animarum zelus admodum infestus est, eo videlicet quod virtutum viros lucris spiritualibus

---

[a] C om. [b] C *nocti*. [c] C *cerneret*. [d] C *caritatis*. [e] C *tepidus*.

inhiantes a proposito salutari tota suae malignitatis [a] arte conentur [b] inflectere ac redemptas Christi sanguine * credentium animas, ne a pec- * *f. 9r*
catorum laqueis resipiscant, exquisitis machinationibus impedire [c] contendant.

Narrator. Sciendum quod duobus modis saepe maligni spiritus animarum lucra sectantibus obicere praeparant, ne conceptum piae mentis fetum proximorum usibus per effectum operationis impendant. Aut enim se *in lucis angelos* transformantes [1] ab incoepto boni operis studio, boni specie melioris, abducunt, ut vel sic [d] intentionem cordis occupatione vana distrahendo diverberent et propositi lucra studii efficaciter non attendant. Quorum speciem insultantes in cruce Domino Iudaeorum principes retinent, qui pendentem pro salute mundi Dei Filium ad descensum patibuli sub suae promisso [e] conversionis invitant, dicentes: *Si rex Israel est, descendat de cruce et credimus ei* [2]. Quasi enim maius aliquid opinione sua Christum agere autumant, si pro conversione plebis iudaicae ad quam ve-

[a] C post corr. [b] C *conaretur*. [c] C *in* cum spatio vacuo. [d] C *si*. [e] C om.

[1] II Cor. XI, 14. [2] Matth. XXVII, 42.

nerat redimendam vivus e cruce descenderet, quam si tensis in ea brachiis moriens quasi *gallina pullos suos sub alas* plenitudinem gentium
* f. 9v *congregaret* [1]. * Quibus tamen talia persuadentibus sed et descendenti minime, credimus quod [a] forsitan sacerdos noster et hostia Christus Iesus, quoadusque *sacrificium vespertinum* [2] pro salute mundi perficeret, cedere noluit, ne profusi cruoris pretium redimendis omnibus miserante Deo transmissum dispensatione debita defraudaret. — Aliquando non [b] sub virtutis specie, sed aperta malignitatis improbitate, livoris sui virus apostatici spiritus exserunt, et nunc minis, nunc terroribus, saepe vero permittente Deo flagellis etiam corporalibus viros iustos afficiunt, ut a coepto [c] perfectionis itinere vel ipsa persecutionis atrocitate desistant. Sed nimirum concitatas adversum se reproborum spirituum acies viri sancti excelsa mentis arte despiciunt: quo scilicet [d] fortius adversariorum tela patientiae scuto suscipiunt, eo virilius post adeptam de hostibus gloriam attentatam consummant structuram [e]. Hinc est enim

[a] C om. [b] C add. in marg. [c] C *accepto* pro *a c.* [d] C *quos* pro *q. s.* [e] C om.

[1] Matth. XXIII, 37. [2] Ps. CXL, 2.

quod reaedificantibus muros Ierusalem captivitatis filiis inimici eorum per circuitum, ut ab aedificatione coepta desisterent, minas ac terrores intentant, bella * constituunt, nec tamen ab * *f. 10r* opere quod explendum coeperant persecutionibus lacessiti requiescunt; sed, sicut scriptum legimus [1], *una manu tenebant gladium et opus altera faciebant*, ut videlicet gladio spiritus imminentia sibi bella potenter evincerent et nihilominus inchoata structurae civilis moenia optatis successibus consummarent.

Auditor. Ex cogitatione [a] tua manifeste conicio [b] quia servis Dei ad *discretionem spirituum* [2] prudentia [c] magna opus sit, quatenus a proposito boni operis nulla simulatae virtutis specie decidant aut citra finem consummationis debitae tentationum iaculis victi cedant. Sed precor, ut coepisti, ad narrationis seriem [d] recurramus [e].

Narrator. Sicut supra dixisse me recolo, postquam sancti nomen Antonii paduanis populis innotuit, *quasi area imbrem sitiens* [f] [3] in multi-

---

[a] C *congnatione.* [b] C *congnitio.* [c] C *providentia.* [d] C *diem.* [e] C add. *Ave Maria gratia.* [f] C ante corr. *sciens.*

---

[1] II Esdr. IV, 17. [2] I Cor. XII, 10. [3] Ioel, I, 20.

tudine copiosa ad auditum verbi eius undique concurrebant. Cumque prae numero adventantium ecclesiarum ambitus non sufficeret [a] populis ca-
* *f. 10v* pessendis, ad spatiosa * pratorum loca praedicaturus accessit. Veniebant enim de civitatibus et castellis ac villis Paduam circumstantibus omnis aetatis et sexus seu conditionis innumera multitudo, omnes verbum vitae devotius sitientes et manu doctrinae eius salutem suam fide certissima statuentes. Medio namque noctis tempore consurgentes mutuis cursibus contendebant se invicem praevenire, accensisque luminaribus ad locum, ubi praedicaturus fuerat, ardentissime properabant. Discordantes enim ad pacem et unitatis vinculum revocabat, captivitate constrictos libertate donabat, usuras ac violentas alieni detentiones restitutione debita refundebat in tantum ut, agris et domibus pignori obligatis, *pretium ante pedes* eius *ponerent* [1] et ablata quaeque [b] spoliatis, ut diximus, prece vel pretio resarcirent. Meretrices quoque publicas profanati pudoris prostitutione famosas salutaribus monitis a nefando flagitio cohibebat [c] raptores, in-

[a] L *sufficerent.* [b] L *quoque.* [c] C *cogibebat.*

[1] Act. IV, 35.

cendiarios atque fures seu quacumque maleficii nota pollutos ad poeni-*tentiam efficaciter con- * f. 11r
vertebat. Tantam denique utriusque sexus numerositatem ad confitenda peccata presbyteris transmittebat, ut nec fratres nostri nec sacerdotes alii, quorum magna frequentia comitabantur eumdem, sufficerent audiendis. Plerique vero ad poenitentiam venientes divina se visione commonitos asserebant, ut Antonii consiliis confidenter intenderent; alii autem post decessum eius ad fratres secretius accedentes ipsum dormientibus apparuisse testati sunt et fratres, ad quos transmittebat eosdem, ex nomine designasse.

Auditor. Velim scire, si noveris, an vir tantus obitus sui terminum ante praesciverit, aut quid illi Dominus de futuris circa ipsum ostendere sit dignatus.

Narrator. Confessorem tantum mortis suae diem non extimo latuisse; ne tamen fratres decessus sui praenuntio admodum redderet desolatos, imminentem sui corporis dissolutionem cautius [a] arbitror occultasse. Quintodecimo namque die circiter priusquam debitum carnis exsolveret, cum [b] super collem quemdam constitutus * amoe- * f. 11v

---

[a] L *cautum*. [b] C om.

nam paduanae civitatis planitiem perspexisset, conversus ad fratrem viae suae comitem civitatis situm laude mirifica commendabat eamque decorandam de proximo immenso honore praedixit. Quem profecto decorem Paduae [a] sanctitatis ipsius merita, quibus e vicino fuerat illustranda, non ab re credimus designasse, per quae tam mirabili quam singulari [b] laude cernimus adornatam. Anno namque dominicae Incarnationis MºCCºXXXIº, indictione quarta, die tertia decima mensis iunii, feria VIª, beatus Antonius in civitate Padua, in qua per eum nominis sui gloriam ampliavit Altissimus, apud Cellam in loco fratrum, universae viam carnis ingressus ad spirituum beatorum mansionem feliciter transmigravit.

Qui cum tempore quodam causa quietis ad locum Cellae, de quo praediximus, divertisset, *aggravata est manus Domini super eum* [1], et infirmitate corporis excrescente anxietatis typum plurime gestibus ostendebat. Cumque tempore modico quievisset, confessione facta necnon absolutione recepta, hymnum Virginis gloriosae

[a] C *Paduam*. [b] C *sigulri*.

[1] I Reg. V, 6.

spiritu iubilans voce coepit altisona decantare dicens:

*O gloriosa * Domina,* *f. 12r
Excelsa super sidera [1].

Moxque luminibus in caelum usque directis respiciebat prolixius in excelsum. Quem cum assistentium frater quidam, quid cerneret, requisisset, ait: « Video Dominum Iesum Christum ».

Attendentes igitur fratres felicem eius exitum propinquare, unctionis sacrae oleo servum Dei perungere statuerunt. Ad quem cum ex more sacerdos unctionem sacram perferens accessisset, intuens eum sanctus Antonius ait illi: « Non valde est necesse, ut haec mihi, frater, impendas: habeo enim unctionem hanc intra me; verumtamen bonum mihi est et bene placet ».

Iunctis ergo [a] manibus, psalmos poenitentiales simul cum fratribus decantando ad finem usque complevit. Cumque dimidia fere hora spiritum attrahens substitisset, anima eius sanctissima

[a] L *igitur*.

[1] Sic incipit antiquus hymnus ad Laudes in officio B. Mariae Virginis. Cf. U. Chevalier, *Repertorium hymnologicum*, II, p. 197.

carnis eruta carceribus in abyssum claritatis absorpta est. Corpus vero dormientis omnino praeferebat speciem; nam et membra corporis, dum adhuc viveret, naturali quodam pallore confecta, versa post [a] transitum in alborem futurae gloriam resurrectionis intuentibus astruebant.

Auditor. Mira quidem, sed divinae pietatis gratia speciali existimo factum fore ut is [b], * f. 12v * cui praeter solum *Iesum et hunc crucifixum* [1] nihil in mundo iucundius sapuit, quasi de praemio iam securus ipsum desiderii sui finem corporali praesentia vicina morte videret. At hoc mihi, fateor, altioris stimulos [c] admirationis adducit, cur misericors [d] Dominus electorum palmitum cultor pius *operarium* tantae strenuitatis *in vinea* [2] quam plantavit, cuius etiam supererogationis industria talenti sibi crediti lucrationes receperat duplicatas [e], *de praesenti nequam saeculo* [3] tam celeriter subtrahi et nequaquam [f] ulterius redditurum tolli permisit [4].

---

[a] L *per.* [b] C *his.* [c] C *stumulos.* [d] C *cum misericos.* [e] C *recepera duplicata,* [f] C *nequamquam.*

---

[1] 1 Cor. II, 2. [2] Cf. Matth. XX, 1; XXV, 22. [3] Gal. I, 4. [4] Similem quaestionem proponit et solvit S. Gregorius, *Dial.* III, c. 37 (Migne, PL 77, 313).

Narrator. Latent quidem divina saepe mysteria nec quisquam potest, Sapientia teste [1], *cognoscere sensum Dei.* Ex Scripturae tamen sacrae possumus auctoritate conicere, quod diversis causarum meritis a praesenti incolatu miseriae viri sancti nonnunquam misericorditer eruantur. Saepe namque contingere solet ut quorumdam electorum animae per [a] corruptionem carnis obstrictae motus sentiant in deteriora proclivos, dum aut [b] lege membrorum morbida fetus produnt legi spiritus obluctantes aut alicui contagione criminis ad illicita perpetranda [c] * fomes * *f. 13* ipsius persuasionis letiferae ministratur. A quibus certe in persona iusti emundari propheta cupierat, cum dicebat [2]: *Ab occultis meis* [d] *munda me, Domine, et ab alienis parce servo tuo.* Quod nimirum saepe desiderium electorum Deus miserator exaudit, dum concessa laborum requie *in libertatem gloriae filiorum Dei* [3] mundo raptos educit. Unde in libro Sapientiae [4] scriptum est de viro iusto: *Raptus est ne* [e] *malitia mutaret in-*

[a] C om. [b] C *autem.* [c] C *penetranda.* [d] C om. [e] C om.

[1] Sap. IX, 13. Cf. S. Ambrosius, *in Luc.* II, n. 1 (Migne, PL 15, 1551). [2] Ps. XVIII, 13. [3] Rom. VIII, 21. [4] Sap. IV, 11.

tellectum eius aut ne fictio deciperet animam illius. — Plerumque vero perfectorum quorumdam vitam in exemplum boni operis peccatorum oculis quasi speculum benignitas obicit Redemptoris, quatenus interioris hominis faciem virtutis cumulatione componant aut contractos consuetudinis pravae naevos poenitentiae fletibus et operibus pietatis extergant. Quos profecto nonnunquam Dominus, dum ab impiis ac peccati malitia obduratis ad emendationem vitae nequaquam [a] suscipi conspicit, sublatos mundo supernorum coetibus civium iuste conscribit. Hinc Paulus inter ceteras patrum fidei commendationes adiecit [1]:

* f. 13v *Egentes, angustiati, afflicti,* * *quibus dignus non erat mundus.* Quia enim sanctorum vitam ad informationem morum et actuum mundus respuit, indignum se tantae participatione societatis ostendit. — Nonnunquam [b] autem, decursis terminis *qui praeteriri non poterunt* [2] vitae huius ac hostibus triumphatis, servi Dei plenos iustitiae *manipulos reportantes in Domini sui gaudium* [3] admittuntur, ut in [c] Ipso perenni gloria pro

[a] C *nequamquam.* [b] C *non unquam.* [c] C om.

[1] Hebr. XI, 37. [2] Iob XIV, 15. [3] Ps. CXXV, 6; Matth. XXV, 21.

suarum dignitate virtutum exultent, cui peregrinationis suae tempore bene subditi fideli perseverantia serviebant. Unde et de perfectis quibusdam angelo Sardis ecclesiae dicitur[1]: *Habes pauca nomina in Sardis, qui non inquinaverunt vestimenta sua; ambulabunt mecum in albis, quia digni sunt.* Quia nimirum quos vitae munditia sub exsilio mortis huius incedentes exornat, immortalitatis stola candida suae merito puritatis aeterna felicitate circumdat.

Auditor. De miraculis et virtutibus sancti huius, quae novisti, precor aperias, ut devotioni meae, sicut coeperas, utiliter condescendas. * *f. 14r*

Narrator. Multa quidem et magna sanctitatis insignia viri Dei longe lateque fama perferente diffusa brevitatis causa subticeo. Ea potissime quae post transitum eius in partibus Paduae claruerunt, omissis ceteris, ad notitiam omnium stilo certiore deduco; quorum nimirum examinatio, per sedem apostolicam venerabili dictae civitatis episcopo et prioribus fratrum Praedicatorum et sancti Benedicti rite commissa, tanta processus maturitate necnon et ordine iudiciario est completa, ut, receptis attestationibus iureiurando

[1] Apoc. III, 4.

firmatis super fidem signorum, personarum et facti conditiones subtilius inquirentes, visus et auditus, loci et temporis, aut si quae sunt ceterae circumstantiae testibus adhibendae, studiosius singula supputarent, ac per manum publicam memoriae tradita testimonio veritatis apostolicae sedis reverentiae destinarent.

1. Die namque quo beati Antonii corpus in ecclesia sanctae Dei Genitricis dignis laudibus et honorificentia debita conditum est, mulier quae-
* *f. 14v* dam, Cuniza * nomine, monstruose contracta, instrumentis ligneis quae ferulae nuncupantur ad sepulcri locum sustentata pervenit; in cuius humero gibbus immanis ex humorum concretione consurgens ita miserabiliter incurvaverat, quod non nisi ferulis supportata ullatenus poterat ambulare. Quae cum coram sancti tumulo paululum substitisset in oratione prostrata, complanato mox humero, cunctis cernentibus gibbus evanuit dimissisque ferulis mulier ad propria remeavit.

2. In civitate Padua mulier quaedam, Riccarda nomine, cunctis civibus exstitit fere nota; quae viginti annorum spatio crura gerens arida in tantum fuerat deformata, ut callosa quadam copulatione genua pectori [a] ac pedes natibus ad-

[a] C *pectortori.*

haererent. Haec cum die quadam mendicitatis gratia cum pauperibus ceteris ad memoriam sancti patris scamnellis vecta pervenisset, gravi depressa sopore aliquantulum dormitabat, inclinato capite super terram. Ipsa igitur sic pausante, vocem clamantis audivit: « Deo gratias, quoniam liberata est ». Expergefacta denique mulier puellam quamdam, quae gibbosa venerat et [a] sanctissimi patris * meritis sanitati reddita mul- *f. 15r
tis comitantibus recedebat, aspexit. Surrexit ergo mulier, ut et ipsa ad tumulum curationis gratia introiret. Cumque foribus ecclesiae propinquasset [b], ecce puer quidam septennis apparuit eamque praecedens iunctis manibus ad introitum invitavit dicens: « Veni, veni in nomine Domini, quia liberabit te ». Illa sequens vestigia praecedentis ad limen ecclesiae se trahendo pervenit; sed cum esset in ostio constituta, puer ille disparuit; ipsa tamen ad sepulcri septa processit. Orante autem illa, ecce globi duo ad [c] instar ovi inter femur ipsius et ilia proruperunt, et humore quodam succutaneo discurrente dicti globi ad pedum infima descenderunt, concussarumque more manuum perstrepentes multis audientibus sonue-

[a] C om. [b] L *appropinquasset*. [c] CL om.

runt. Denique crura eius xx annorum spatio desiccata coram oculis omnium extenta sunt, ac laxata cute redivivae carnes ad staturam [a] pristinam concreverunt. Dimissis ergo scamnellis baiulis, mulier domum rediit et per medium civitatis incedens, stupefactis civibus notis eius, firmatis gressibus ambulavit.

3. Mulier quaedam, Maria nomine, cum tem-
* *f. 15v* pore quodam equas * patris sui iuxta flumen quod Brenta dicitur prosecuta sub nuce consedisset, vir quidam niger de amne prodiens recto tramite ad eam venit assumptamque brachiis [b] ad nucem alteram e vicino celeriter deportavit. Cumque delatam, vim ei inferre [c] cupiens, proiecisset in terram, adeo miserabiliter fractam reliquit ut, gibboso pectore genuque contracto necnon et vertebro coxae ab ancha distorto, ductu [d] patris ad propria remearet. Quinque igitur annis et eo amplius sic contracta, ad beatissimi patris Antonii tumulum deportata, per eiusdem merita pristinae restituta est sanitati. Videbatur namque sibi, dum salva fieret, inter carnem et ossa leniter manum duci, membra

---

[a] C *stuturam.* [b] C *blachiis.* [c] C bis *inferre.*
[d] C *ducto.*

quoque [a] pridem anxio dolore confota [b] ungentis more suavius deliniri.

4. Altera vero mulier, Gisla nomine, ab annis octo contracta, desiccato crure sinistro ac nervis decurtatis, pedis gressum nequaquam figere poterat super terra [c]. Quam vir eius, nomine Marchoaldus, equo vectam coram sancti tumulo suppliciter collocavit; et mox orationi prona se conferens tanta coepit angustia perurgeri, ut calorem * nimium qui [d] eam invaserat ferre non sustinens, exportantibus eam viris, aurae frigidioris haustu spiritum recrearet. Cumque reducta postmodum coram sancti tumulo misericordiam imploraret, manum viri tangentis uterum suum corpusque levare conantem mulier sentiebat. At illa scire cupiens quisnam esset qui manu eam contigisset, apertis oculis neminem sibi appropinquare cernebat. Intelligens ergo mulier divinum fore subsidium quod sensisset, illico per se consurrexit dimissisque ferulis gaudens et sana cum viro suo discessit. * *f. 16r*

5. Puella quaedam, nomine Agnes, trium annorum spatio totius corporis viribus destituta,

---

[a] L *membraque* pro *m. q.* [b] L *confecta.* [c] L *terram.* [d] C *per* pro *qui.*

aegritudine quam dicunt [a] anatropam laborabat ita quod, intestinis nimia siccitate restrictis, quam cito cibum sumeret, per os illico indigestum ac crudum penitus emittebat; adeo denique morbus invaluit, ut [b] intercluso gutture vix salivam vel molle quidpiam deglutire [c] valeret. Deducta igitur die quadam et super sancti tumulum collocata, dolore nimio sauciata morti
*f. 16v * visa est propinquare. Cumque dolor, qui pervaserat [d] corpus eius, paululum recessisset, matrem suam quae prope aderat acclamabat, dicens se prae fame nimia posse panem integrum deglutire. Assumptam ergo filiam mater lactabunda deducens, dato sibi protinus ac retento cibo, ad propria remeavit.

6. In Capite Gauri puella quaedam, Samaritana nomine, pro colligendis leguminibus cum puellis aliis agrum sui patris ingressa, contractis subito genibus, redire nequaquam valuit, sed portantibus eam ceteris ad paterna limina remeavit; sicque invalescente morbo annis tribus reptans manibus incedebat et spectaculo miserabili nates solo trahebat haerentes. Die igitur

---

[a] L *vocant.* [b] C om. [c] C *degruttire.* [d] C *perversarat.*

quadam ad sepulcrum sancti cum matre veniens, confessione facta, supplex accessit ad arcam, et hora brevissima manens ibi, meritis patris sanctissimi sanitati pristinae restituta, pedibus propriis remeavit ad sua. Quod cum [a] auribus populi Capitis Gauri nuntiatum fuisset, pulsatis campanis venienti obviam processerunt et Dei magnificentiam oculata * fide cernentes ipsum * *f. 17r*
veneratione debita collaudabant.

7. Fredericus quidam, de comitatu Concordiae, cum tempore quodam de ecclesia Pulcigni incautius cecidisset, contractis renibus nonnisi ferulis sustentatus incedere poterat vel localiter se movere. Veniens autem ad sepulcrum dicti patris, voto facto sanitatem pristinam reaccepit dimissisque ferulis rectus incedens, mirantibus omnibus qui eum antea viderant, ad propria est reversus.

8. In civitate Venetiarum mulier quaedam, Caesaria nomine, duobus annis [b] et eo amplius una manu contracta, pedem sinistrum ex transverso ferebat [c] distortum; quae, auditis miraculis sancti patris, Paduam concito properavit. Cumque prae multitudine infirmorum non valeret ad tu-

---

[a] C om. [b] C om. [c] C *refebat.*

mulum propinquare, protensa tibia sepulturae locum pertingere conabatur; quo cum pedem salutis anxia porrexisset [a], mox eam dolor tantus arripuit ut, commotis ab imo visceribus ac minantibus exitum, prae dolore sudaret. Videntes autem qui aderant angustiam mulieris (iam enim prae debilitate loqui non poterat), removentes
f. 17v eam a sepulcro iuxta * templi parietem quietis gratia locaverunt; ubi cum aliquandiu moraretur, recedente sudore surrexit, et [b] manus ac pedis sanitate potita [c] grates debitas agens Deo [d] laetabunda discessit.

9. Prosdoxima, uxor quondam Mainerii de Noenta, manu et pedibus ambobus [e] contracta, in mastello quodam ad beati patris tumulum deportata est. Quae cum super arcam elevata fuisset, pedes eius cunctis videntibus sunt erecti ac pristinis usibus plenarie restituti; manus eius paululum contremiscens aperiri coepit protinus et extendi ita quod, permonentibus [f] eam arcae custodibus, illam clauderet et iterum aperiret.

10. Margarita quaedam, de civitate paduana, cum se nocte quadam somni beneficio recrearet,

---

[a] L *perrexisset.* [b] L om. [c] L add. *et.* [d] L *Domino.* [e] L *ambabus.* [f] L *praemonentibus.*

ab [a] alto in terram sibi visa est corruisse. Expergiscens autem mulier inventa est collum habens distortum manumque sinistram cum pede pariter decurtatam, ut suspenso calcaneo vix valeret terram tangere summis articulis digitorum. Sed cum die quadam [b] super sancti patris tumulum collocata fuisset, * erecto mox collo caput * *f. 18r*
ad statum rediit condecentem, et manus ac pedis sanitate [c] recepta per eiusdem patris merita liberata descendit.

Auditor. Duplex mihi admirationis causa ex narrationis tuae tenore suborta est: nimirum qualiter tantarum [d] signa virtutum tam veloci quam subita rerum exhibitione completa sunt, cur etiam sanandi quidam tam immanem [e] passionis acerbitatem, ut asseris, pertulerunt.

Narrator. Si res gestas exterioris tantum oculi iudicio extimamus, magnum certe et imperscrutabile est et mirificum [f] quod narramus. At si subtiliori mentis acie naturae ordinem rebus omnibus inditum intuemur [g], Creatori suo cui subest posse pro voto subiectum [h] fore cognoscimus, et quod [i] nec potentiae creatrici cum voluerit operari quid-

---

[a] C om. [b] L *quodam*. [c] C *sanitati*. [d] C *tantorum*. [e] C *inane*. [f] C *minimum*. [g] C om. [h] C *puoto subiecto* pro *p. v. s.* [i] C om.

quam potest esse difficile nec facultas obedientiae, cum placuerit Ipsi qui praestitit, deerit vel naturae. Cum igitur absoluta maiestate potentiae semper et ubique Deus possit omne quod velit, licet praeter usitatum cursum naturae quantumlibet arduum videatur esse quod agit, nescit [a] tamen tarda molimina dispensatio gratiae quam
* *f. 18v* infundit [1], si non * invenit resistentiam in subiecto cui misericorditer dona suae bonitatis impertitur. Solerter tamen attendendum est, quod non omne [b] quod mirabile intuentibus cernitur operi [c] miraculoso tribuendum a scientibus iudicatur. Differt enim non parum in ratione miraculi quid secundum ordinatam ab initio dispensationem rebus insitam seu naturae cursum solitum, quidve contra vel supra sive etiam praeter fiat. Nam quod, sicut diximus, secundum ordinatam rei dispositionem vel naturae cursum solitum fieri cernitur, neque miraculum seu mirabile vel mirum etiam proprie appellatur. Ea vero quae dicto naturae cursui Dei nutu cursu contrario perpetrantur, sicut verbi gratia mortuum vivere,

[a] C *ne sit.* [b] C om. [c] C *operari.*

[1] S. Ambrosius, *in Luc.*, II, n. 19 (Migne, PL 15, 1560).

caecum videre et similia, haec nimirum nomen miraculi sortiuntur, quia virtute superiori ad dispositionem vel habitum quempiam reducuntur, quo privata de se penitus regredi non valebant. Supra naturam autem illa fieri perhibentur, in quibus supra possibilitatem suam natura Conditori consequens elevatur, ut ad id terminos suae facultatis extendat quod a se distabat maxime per naturam: de quorum numero tanquam mirabile, non * miraculum, opus Incarnationis esse * *f. 19r*
dicitur, quia non cursu contrario, sed naturae proficientis elevatione completur. Denique praeter naturam illa fieri dicimus, quae, licet corporalibus [a] sensibus abdita, convenientiam tamen et ordinem habent aliquem in natura. Quod [b] enim magi Pharaonis ex virgis produxere serpentes [1], iuxta Sancti sententiam, non miraculum aut mirabile, sed mirum quoddam quasi incognitum coram

[a] C *a corporibus.* [b] C *qui.*

[1] Exod. VII, 12. S. Augustini sententia, quam subinde profert auctor, legitur in suis *Quaestionibus in Heptateuchum*, lib. II, n. 21 (Migne, PL 34, 602). Ex scholasticis doctoribus, qui doctrinam de miraculis illustrant, attentione digni sunt Alex. Hal., S. p. II, q. 43 (ed. Lugdun. 1516), et praecipue S. Bonav., *II Sent.*, dist. VII, p. II, a. 2, q. 2; dist. XVIII, a. 1, q. 2, ad 5.

oculis intuentium effecerunt, dum latentes in elementis mundi seminarias rationes ministerio daemonum conquisitas in species naturales, permittente Domino, produxerunt. Absque Incarnatione, magorum aut daemonum etiam ministerio (accedente ordine naturali) opere saepe fieri cernitur ut, convenientia rationum seminalium [a] concurrente, nacta temporis opportunitate, modis suis et finibus vegetabile quidpiam in sensibile provehatur.

Quod autem in ultima dubitationis tuae parte quaesisti, cur videlicet liberandi quidam tantas in corpore senserint passiones: nimirum in eisdem [b] aut defectus fidei sive nondum plene punita culpae praecedentis iniquitas hoc requirit, * *f. 19v* ut poenis etiam corporalibus * ceteris gravius expientur [c], quos fides tardior ut praedixi sive commissi [d] reatus criminis vel utrumque simul ad susceptionem gratiae minus acceptos ostendit. Ut autem [e] ista quae diximus clariori luce discussionis appareant, duos ex Evangelio Redemptoris nostri potestate curatos in medium proferamus. De caeco namque, quem, teste Marco [1],

[a] C *semi* cum spatio vacuo. [b] C *eiusdem*. [c] C *experientur*. [d] C *commixi*. [e] C *aut*.

[1] Marc. VIII, 23, 24.

sputo Iesu illuminatum legimus, evangelista subdendo proloquitur: *Interrogavit* autem Iesus *si aliquid videret;* qui respondit: *Video homines sicut arbores ambulantes;* et addit [a]: *Deinde iterum imposuit* ei *manum, et restitutus est ut omnia clare videret.* Quid est enim quod ad sputum Iesu et impositionem primariam manus eius caecus plene non videt, nisi manifeste colligitur quod ad imperfectionem fidei subsecuta est illuminatio semiplena curandi? Neque etenim in impositione primaria manus Iesus impotentior esse cognoscitur quam in [b] secunda; sed ex curae modo magister caelestis aperuit quod, crescente fidei merito, perfectae liberationis est aptior effectus sacramento. De surdo ac muto Redempto-*ris nostri verbo sanato [c] Marcus ipse *f. 20r
sic ait [1]: *Iesus autem* dixit patri eius: *Si potes credere, omnia possibilia sunt credenti;* qui ait: *Credo, Domine, adiuva incredulitatem meam.* Ac si aperte dicat: Ex verbis tuis attendo, Domine, quod ad obtinendam filio sanitatis graciam opus sit fide, quam quia minus debito in petente fore conspicio, tu misericors abundantia

[a] C *addidit.* [b] C om. [c] C *nato.*

[1] Marc. IX, 22 sq.

tuae pietatis vota mea cum meritis excedente fidem auge, qua plenius cum effectu valeam impetrare[a] quod posco. Ac deinde subiungitur: *Exclamans* autem *et multum discerpens eum exiit ab eo, et factus est* quasi *mortuus*. Constat namque maioris esse potentiae fortem quempiam a domo suae quietis eicere quam vadentem ne nocere praevaleat cohibere. Qui ergo daemonium mutum ac surdum ab obsesso potuit corpore sua virtute detrudere, numquid non recedentem valuit ne languentem discerperet prohibere[b]? Sed nimirum ipsa passionis acerbitas in curandi corpore docuit, quod salutem quam fidei pietas meruit ex peccati culpa praeteriti expiandum aliquid
f. 20v retardavit. *

Auditor. Adhuc rogo, si recolis, aliqua mihi de praedicti patris sancti miraculis, sicut coeperas, prosequaris.

Narrator. 11. Adolescens quidam, Tridentinus nomine, osse quodam in spina dorsi eius excrescente, quinque annorum spatio gibbosus incedens manus ad genua protendendo, ferula quadam supportatus ad sepulcrum sancti pervenit. Quem cum mater[c] fide plena super arcam fe-

---

[a] C *petrare*. [b] C *prohibentur*. [c] C *matre*.

cisset ad modicum elevari, descendente mox gibbo descendit erectus, et cum matre dimissa ferula laetus ac laudans ad propria remeavit.

12. Vir quidam, Veridotus nomine, ex infirmitate nimia conquassatus fractis renibus gibbum traxit, ita quod, capite ad terram fere dimisso, sustentatus scamnellis baiulis incedebat. Ductu itaque matris suae sancti patris veniens ad sepulcrum coepit illico tantis doloribus perurgeri, ut resoluto quodammodo corpore toto generaliter exsudaret. Recedente autem paulisper sudore, vir dictus coram adstantibus multis renes extendit, et per sancti merita gibbus ille mox disparuit complanatus. * *f. 21r*

13. In civitate Trivisii mulier quaedam, Venetiana nomine, duobus annis et [a] amplius gibbum portaverat in pectore ad [b] instar panis; caput autem suum ad genua reclinabat, cum necessitate aliqua se moveret. Veniens igitur ad beati patris tumulum tribus diebus perstitit orans ...um, et concupitae sanitati reddita [c], complanato gibbo et elevato capite, Deo et beato Antonio gratias agens abscessit.

14. Solangna de Montagana per [d] annum et mensem corpore resoluta votum vovit patri sanc-

[a] C om. *a. e.* [b] C *et.* [c] C *reditam.* [d] C *et.*

tissimo, quod ad ipsius tumulum sanitatis gratia faceret se deportari. Haec cum nocte quadam in stratu suo decubans obdormisset, audito strepitu quasi pulsato pede lectuli excitata, tremefacta pervigil excubabat. Cumque post modicum iterato sponda lectuli pulsaretur, signo crucis se muniens mulier exclamavit: « Quis tangit lectum »? Audivitque vocem dicentem sibi: « Audacter signa te ». At illa: « Quis es, Domine »? « Ego sum, inquit, Antonius ». Exclamansque mulier ait illi: « Sancte Antoni, libera me »! Qui respondit: « Ecce, salva facta es ». Mane autem facto, mulier solidata surrexit et per sancti merita nullum prorsus * gravamen sentiens deinceps sana permansit. *f. 21v

15. Bartholomaeus [a] quidam de Plebe Sacci, cum ab infantia [b] mutus exsisteret ac per annos XIIII toto corpore paralytica peste solutus, ad sepulcrum sancti patris facto voto supplex advenit. Ubi cum [c] fide ac devotione plena orans persisteret, soluto linguae vinculo confitebatur Deo, et qui dorso viri vectus advenerat, pedibus propriis recedebat [d].

16. In comitatu ferrariensi mulier quaedam, Maria nomine, ab annis IIII^or^ toto [e] corpore dis-

[a] C *Barbotholomeus.* [b] C *infantiam.* [c] C om. [d] C *recebat.* [e] L *tota.*

soluta, tremorem capitis continuum est perpessa. Ad locum igitur sepulturae sancti patris veniens, in oratione devota permansit. Subito nervi eius solidari coeperunt, et caput a tremore solito conquievit; exsurgensque mulier coram multis stetit immobilis super pedes suos ac plenariae sanitati reddita Deum laudans ad propria remeavit.

17. Vir quidam de Porcili, Sconitus nomine, pedes habens putridos et nodosae podagrae inflatione tumentes, dorso viri vectus ad sepulcrum sancti patris advenit. Facta autem confessione, cum a fratre quodam poenitentiam suscepisset, * dimissus ab ipso ad sancti tumulum est delatus; *f. 22r* ubi cum devote sancti suffragia postulasset, mox tanta velocitate sanatus ad fratrem cui confessus fuerat est reversus, ut prae subitatione nimia frater ipse miratus huc illucque per claustrum eum faceret ambulare.

18. Ermerina de Vincentia, quinque annorum spatio pedibus resoluta, cum necessitate qualibet se moveret, tremebundis motibus corpus suum in ante retroque ferebat. Veniens igitur ad sancti patris tumulum, in oratione procubuit moxque concupitam diu habere promeruit sanitatem.

19. Item mulier altera, Bilia nomine, tribus annis toto corpore [a] resoluta, tremebundis gressibus sancti patris ad arcam angustiata pervenit. Cumque coram tumulo in oratione diutius perstitisset, invalescente calore tremor horribilis irruit super eam. Flebant autem viri et mulieres, qui aderant, hoc [b] videntes; sed cum extra templi ostium deportata paululum respirasset, recedente calore tremor pariter abscedebat; sanitati pristinae reddita in sua cum gaudio remeavit.

Auditor. Digne quidem, ut audio, sed nec
*f. 22v minus * utiliter a fidelibus servorum Dei [c] suffragia postulantur, quibus mediantibus tam miranda beneficiorum dona saepius impetrantur.

Narrator. Fructuose plane [d], sicut asseris, ad aeternos *montes* unde provenit nobis auxilium mentis *oculos elevamus* [1], quibus intercessione sua negotia nostra gerentibus nequaquam [e] sufficit tantum postulata concedere, nisi etiam [f] abundantia pietatis utiliora petentibus quam rogati fuerint nonnunquam studeant praerogare. Plerumque etenim temporale quidpiam, ut puta

[a] C om. [b] L *haec.* [c] C om. [d] C *plane.* [e] C *nequamquam.* [f] C *enim.*

[1] Ps. CXX, 1.

filios aut heredes sive etiam temperiem aeris ac fructuum ubertatem, saepe corporalem etiam a sanctis petimus sanitatem, et obtentis sicut expedit aut negatis saepius ut nocivis quae per [a] ipsos assequi sperabamus, intercessione sua nobis adiciunt bene operandi gratiam, saepe etiam praestante [b] Domino veniam peccatorum. Quod profecto praerogationis indicium meritis ultra saepe quam petitur orantium [c] dispensantis [d] Petrus et Ioannes insinuant [1], qui petenti claudo *ad portam templi,* nomine *Speciosam,* ut *elecmosynam* acciperet manualem, corporalem ei supra quam * credidit et spiritualem quam nequaquam [e] petiit sanitatem fidei contulerunt. Quid namque per claudum nisi peccator exprimitur, qui a [f] statu rectitudinis inperfectione fidei et operis quasi duobus pedibus decurtatur? Unde et quibusdam peccatoribus Elias ait [2]: *Usquequo* [g] *claudicatis in duas partes?* Qui enim Domino et Baal fide simul et opere placere curabant, neutri cultum debitum impendentes quasi pede duplici claudicabant. Bene autem claudus iste

*f. 23r

[a] C om. [b] C *putante.* [c] C *orantibus.* [d] C *dispensant.* [e] C *nequamquam.* [f] C *quia* pro *q. a.* [g] C *usquoque.*

[1] Act. III, 2 sq. [2] III Reg. XVIII, 21.

iuxta quosdam paralyticus exstitisse describitur, videlicet cum [a] ad superna capescenda imbecillem se peccator existimans, resolutus in infimis delectari noxie non formidat. Sed nimirum talis, si vel caro imperfectionis suae damna considerat, mox compunctus in lacrimis, quod deesse sibi in votis conspicit, a perfectis vel sanctis viris exorando mendicat. De quo bene subiungitur: *At* [b] *ille intendebat in eos sperans se* [c] *aliquid,* temporale scilicet, *accepturum ab eis.* Cui recte per Petrum dicitur: *Argentum et aurum non est mihi; quod autem habeo, hoc tibi do.* Ac si aperte per imprecationem dicat: Per orationes tuas beneficii temporalis emolumenta requiris, *f. 23v* * quae, quia reputatione sanctorum boni spiritualis comparatione nulla sunt, utiliora tibi quam quaerebas addo [d], quae nimirum transituris omnibus antepono. Sequitur: *In nomine Iesu Christi Nazareni surge et ambula.* Ubi solerter intuendum est quod suffragiis conferendis Salvatoris nomen apte praemittitur: Christus Iesus origo et finis est omnis gratiae et salutis. *Surge,* inquit, *et ambula;* tanquam si verbis manifeste dicat: A terrenis ac temporalibus commodis

[a] C om. [b] C *ad.* [c] C add. interl. [d] C *additio.*

per [a] mentis propositum ad aeterna te erige et proficiendo deambula boni operis supererogatione. Ubi et apte subiungitur: *Apprehensa eius manu dextra allevavit eum, et protinus consolidatae sunt bases eius et plantae.* Quia enim saepe in proficiendi opere pigros esse conspiciunt quos ad vitae spiritualis initia suis precibus promoverunt, multiplicatis intercessionibus quasi manu porrecta suffragii ad excelsa virtutum quasi dextra elevant, dum plantas cogitationum et bases operum perseverantiae dono [b] solidante confirmant.

Auditor. Placet, fateor, de sanctorum suffragiis fecisse superius mentionem, qua tam utiliter * beneficentiae ipsorum erga nos sedulitatem *f. 24r* apertius declarasti. At nunc ergo ne pigeat ad ea quae coepisti procedere, ut quae restant possis, ut exopto, celerius enarrare.

Narrator. 20. Frater quidam, Theodoricus nomine, de Ordine nostro, duorum annorum spatio sinistri oculi visione privatus, de Apuliae finibus ad sepulcrum sancti patris Antonii supplex venit. Qui cum aliquamdiu cum fratribus Paduae moraretur, coram sancti [c] tumulo sanitatis gratiam [d] enixius implorabat [e]. Tandem autem [f] optato po-

---

[a] C om. [b] C om. [c] L om. [d] C om.
[e] C *exius improrabat.* [f] C add. interl.

titus lumine gaudens et laudans ad patriam, de qua venerat, remeavit.

21. Mulier quaedam theutonica, nomine Carolina [a], per annos VII utriusque luminis officio destituta, cum ad sancti patris tumulum devota venisset, parvo temporis intervallo coram arca in oratione permansit ac recuperato caelitus lumine laetabunda et laudans remeavit in sua.

22. Puella quaedam, Auriema nomine, per annum et dimidium orbata lumine oculorum, recuperandae sanitatis gratia est deportata ad tumulum sancti patris. Quae cum velum, quo tege-
* *f. 24v* batur arca, * caecis oculis applicuisset, per ipsius merita mox apertis palpebris desideratum diu lumen accepit.

23. Leonardus de Corniglano trium annorum spatio unius oculi lumine destitutus ex toto, altero vero in tantum caecutiens ut non nisi voce notos discerneret ab ignotis, ad reverendi patris tumulum gratia recuperandae salutis advenit; cumque oratione fusa modico coram arca tempore moraretur, utriusque luminis officio restitutus abscessit.

24. Flos de Gemma, de Laureto, cum per annos VII sinistri foret oculi officio penitus viduata,

---

[a] C *Garolina.*

ad beati patris Antonii arcam veniens, concupito [a] dotata [b] lumine, Deo gratias agens ad sua cum gaudio repedavit.

25. Mulier quaedam, Alexia nomine, cum per annos v utriusque luminis usu orbata totaliter exstitisset, ad sepulcrum viri Dei diu perditum per ipsius merita recepit visum.

26. Rollandus [c] quidam, cognomento Bolgarus, invalescente capitis eius aegritudine valde gravi xx annorum spatio surdus effectus, coram sancti patris tumulo stans devotus sanitati pristinae restitutus est et gaudens ad propria remeavit. * *f. 25r*

27. Leonardus de Venetiis, ab annis IIIIor ex contractione humorum auribus obturatis, omnino surdus effectus est. Hic, cum die quadam ad sepulcrum viri Dei devotione supplici accessisset, desideratum illico recuperavit auditum.

28. Alius autem mendicus [d]..... nomine, duorum annorum spatio surdus exsistens, ad locum sepulturae sancti Antonii obtinendae sanitatis [e] gratia supplex venit; ubi [f] cum misericordiam postu-

[a] C *conpito.* [b] C *todata.* [c] C praemittit rubr. in marg. *De surdis;* inferius, ad 28, *Aliud miraculum;* ad 29, *De mutis.* [d] C habet statim spatium vacuum. [e] L *salutis.* [f] C *unde.*

lans perstitisset [a], sanitati plenariae restitutus Deum laudans ac laetus abscessit.

29. Mulier quaedam, Michelota nomine, cum per [b] annos XI muta et nihil omnino loquens exstitisset, totius corporis viribus destituta languebat. Quae cum mirabilia sancti patris meritis exhibita a dicentibus accepisset, ad sepulcrum eius se fecit sanitatis gratia deportari; cumque devotione plenissima misericordiam postulans coram arca iaceret, per eiusdem patris merita liberata discessit.

30. Vir quidam de Foro Iulii, cum se linguae officio gemeret destitutum, ad arcam patris sanctissimi ductu matris advenit. Qui dum coram
f. 25v tumulo devotus * assisteret, diu perditam reportavit loquelam.

31. Civis quidam paduanus, Petrus nomine, habebat filiam, vocabulo Paduanam; quae, cum IIII^or^ esset annorum et nullo prorsus pedum officio frueretur, more serpentium reptans [c] manibus incedebat. Dicebant autem, quod [d] epileptica peste laborans volutari [e] saepius et cadere consuevit. Quadam autem die, dum adhuc viveret

---

[a] L *extitisset*. [b] C om. [c] C *raptans*. [d] C om. [e] C *voluptari*.

pater sanctus, iter faciens per civitatem obvium habuit patrem eius, quam deportans in ulnis rogare coepit, ut filiae [a] benedicere dignaretur; cuius fidem sanctus [b] attendens benedixit eam protinus ac dimisit. Pater vero puellae domum rediens curriculo sustentatam huc illucque per domicilium [c] ambulare coegit; quae in brevi ita convaluit, ut nullo penitus sustentaculo egeat, nec ab illo tempore [d], quo [e] eam signaverat, ullam morbi epileptici deinceps senserit passionem.

32. Puer quidam, nomine Simeon, trium annorum spatio morbi caduci passionibus conquassatus, pronam terrae quamtotiens faciem collidebat; sicque mi-*serabiliter palpitans post ruinam mortuo [f] simillimus apparebat. Sollicita igitur mater eius pro salute filii ad sepulcrum patris sanctissimi duxit eum, factaque oratione domum [g] rediens nequaquam [h] dictae passionis symptomata aliqua toleravit. *f. 26r

33. In civitate paduana mulier quaedam, Michelota nomine, epileptica peste laborans, ex nimietate morbi oculo lumen amiserat et quam-

---

[a] L add. *suae.* [b] L add. *Antonius.* [c] L *domum.* [d] C om. [e] L add. *sanctus.* [f] C *morti.* [g] L *demum.* [h] C *nequamquam.*

saepe morti contermina apparebat. Quam cum mater eius ad sancti tumulum sanitatis gratia deportasset, super arcam ad modicum elevata mox apertis oculis amissum lumen recepit et ab illo tempore peste epileptica nequaquam [a] laboravit.

Auditor. Liquet [b] certe quod non solum ad Apostolorum sive martyrum tempora vaticinium [c] Isaiae [1] pertineat, qui dicebat: *Tunc aperientur oculi caecorum et aures surdorum patebunt; tunc saliet sicut cervus claudus et aperta erit lingua mutorum.*

Narrator. Ad plenitudinem temporis in quo per incarnati Verbi mysterium mundi salus emi-
f. 26v cuit * prophetiam ipsam potissime [d] pertinere propheta demonstrat, qui verbis ipsis quae commemoras immediate praemisit: *Deus ipse veniet et salvabit vos* [e]. Quia tamen mediator Dei et hominum Christus Iesus posteritati credentium, Evangelio [2] teste, promisit eiusmodi potestatem: *Qui credit,* inquiens, *in me, opera quae ego facio ipse faciet,* constat quod non solummodo ad sur-

[a] C *nequamquam.* [b] C *licet.* [c] C *vaticium.* [d] C *possime.* [e] C *nos.*

[1] Isa. XXXV, 5, 6. [2] Ioan. XIV, 12.

gentis initia primitivae matris Ecclesiae, sed et usque in finem saeculi pro diversitate causarum, locorum ac temporum dispensatione concessit, ut diximus, faciendi miracula potestatem, iis dumtaxat potissime qui plenitudine fidei, morum et operum attestatione firmata, christiani nominis exhibent dignitatem. Maius quoque quidpiam quam visibilium signa virtutum plerumque sancti iuxta promissionis Christi exhibent cautionem, dum persuasione veridica verbi Dei aut vitae perfectioris exemplo, nonnunquam vero precum suffragio, ad intuitum veritatis mente caecos illuminant, quorumdam aures obstinatione damnatas ad obedientiam mandatorum potenter aperiunt, imperfectione * cogitationum et actuum *f. 27r claudicantes ad excelsa virtutum erigunt ac tacentium prius ora in confessione relaxant, putrefactae consuetudinis contagione leprosos emundant, daemoniaca crudelitate furentes ad mansuetudinis tranquillitatem informant ac demum peccati veneno mortuos et foetentes ad spem *vitae* spiritualis, *quae nunc est et futurae* [1], coaptant. Quae quidem omnia licet ab impiis et carnaliter sapientibus comparatione signorum mira-

[1] I Tim. IV, 8.

bilium admiratione nequaquam digna putentur, apud tamen misericordem iudicem, licet aequalis potentiae opus sit, maioris extimationis reputatur effectus impium a peccato convertere quam creasse [1].

Auditor. In Evangelio legimus Christum Dominum tres mortuos suscitasse: mihi, precor, edicas, si quid simile per hunc sanctum invenire [a] potueris [b] in defunctis.

Narrator. 34. In [c] comitatu Paduae [d], mulier quaedam ad vicinam domum pro quaerendo igne profecta, revertens ad propria filiam parvulam se sequentem in fossa quadam [e] aqua lutoque repleta supino vultu natantem reperit. Accurrens
*f. 27v itaque gemebunda * mater submersam filiam de lacu faecis abstraxit extractamque in [f] margine collocavit. Advolantibus autem ob [g] spectaculum triste non paucis, vir quidam de adstantibus pedes eius elevans in sublime, verso capite in deorsum, haustas aquas emittere satagebat; sed nec

[a] C om. [b] C *patueris*. [c] C praem. rubr. in marg. *De resuscitatis*. [d] L *Paduano*. [e] C *fossam quamdam*. [f] L add. *fossae*. [g] L *ad*.

1 S. Augustinus, *in Ioan.*, tr. 72, n. 3 (Migne PL 35, 1823).

sic quidem vox inerat neque sensus, quia compressis labiis atque genis omnis omnino [a] recesserat spes salutis. Tandem igitur facto voto promisit se mater ipsius iconiam ceream ad sancti Antonii tumulum delaturam, si redivivam filiam restituere dignaretur. Quo emisso, mox cernentibus omnibus qui adstabant, puella labia sua movit et immisso cuiuspiam digito ori eius aquas illico epotatas emisit, ac per sancti patris merita calore vitali fota revixit.

35. Simile aliquid contigit in civitate de Comaclo. Erat nempe ibi vir quidam, Dominicus nomine, qui, ut die quadam quidpiam operis ageret, a domo exiens filium parvulum e vestigio habuit insequentem. Cumque modicum a domicilio recessisset, * retro spectans neminem sibi *f. 28r* adesse videbat. Stupefactus itaque circumquaque prospiciens submersum filium in lacu quodam tristis aspexit, accurrensque mox extractum matri tradidit suffocatum. Quae confestim voto facto gemebundis vocibus, patris sanctissimi auxilium invocans corde toto, per ipsius merita redivivum filium gavisa est accepisse.

36. In Apulia [b], civitate Monopoli, iuxta locum fratrum, iuvenis quidam terram fodiens ripa de-

[a] L *omnium*. [b] L *Apuliae*.

super irruente letaliter est oppressus; quem cum puer quidam terra [a] obrui conspexisset, currens et eiulans nuntiavit matri suae [1]. Porro mater haec audiens coepit palmis faciem [b] caedere et capillos laniare, accurrensque cum lacrimis ad locum fratrum voce miserabili proclamavit dicens: « Accurrite, fratres! accurrite! adiuvate me, quia terra operuit filium meum ». Quo audito, accurrentes fratres cum ligonibus et aliis instrumentis coeperunt fodere, ubi terram viderant cecidisse, matre iuvenis continue proclamante: « Sancte Antoni, redde mihi filium meum »!

*f. 28v Fodientes igitur * invenerunt pedes eius prae terrae pondere livescentes, inde vero nates terra [c] contusas; alii autem percutientes sappis in capello, quod gerebat in capite, tria foramina perfecerunt. Cum [d] puerum de sub terra traxissent, vivus apparuit, sed graviter conquassatus. In-

[a] C *terram.* [b] L add. *suam.* [c] C *terrei.* [d] L *cumque.*

1 Contrariis omnino verbis narratur illud in Cod. 74 Bibl. Paduanae, qui etiam pluries textum primitivum legendae S. Antonii corruptum praebet. Cf. L. de Kerval, *S. Antonii de Padua vitae duae,* p. 32, 35, 36, 37, 56, 132. Hic saltem deficit cursus in finali *nuntiavit matri suae.*

terrogantibus autem fratribus qualiter vivere poterat sub ruina, respondit: « Beatus Antonius manum suam tenuit super guttur meum ». Quod audientes plurimi qui adstabant, Deo [a] et sancto Antonio grates debitas persolverunt.

Auditor. *Mirabilis* certe *Deus in sanctis suis* [1], quorum meritis ad praesentis usum vitae misericorditer revocat, quos exutos veste carnis pro suorum qualitate operum receptaculis abditis in aerumna vel requie collocavit.

Narrator. Quamquam multos novi ac veteris Testamenti paginis divina virtute legamus a mortuis suscitatos [b], non id tamen de omni dormientium genere, absque praeiudicio sententiae melioris, credimus arbitrandum. Constat enim decedentium merita iuxta Patrum sententias quadrifaria differentia fore distincta: ut quorumdam [c]
* electorum animas pro suarum dignitate vir- * *f. 29r*
tutum tantae felicitatis ac divini muneris benedictione definiant iam dotatas, quod nequaquam ab intima contemplatione veritatis alicuius [d] corruptionis umbraculo retardari velint aut carorum necessitudine seu necessitate qualibet ut id ap-

[a] L *Domino.* [b] C om. [c] C *quodam.* [d] C *luce.*

[1] Ps. LXVII, 36.

petant cogi queant; alioquin enim a beatitudinis perfectione deficerent, si per gratiam liberatae ac confirmatae per gloriam voluntati violente coactio posset inferri. Ideoque si quos talium miserante Deo ad commonitionem saepe fidelium, quandoque vero ad compartienda suffragia postulata devotis sibi apparuisse legamus, nullos tamen permansisse meminimus miseriae praesentis seu corruptionis [a] obnoxios servituti. At reproborum quorumdam animas post egressum a corpore pro suorum qualitate factorum tanta pronuntiant securitate iustitiae locis poenalibus mancipari quod nequaquam [b] ultra sibi valeant remedia undecumque [c] conquiri, qui dum viverent comparare sibi profutura levamina contempserunt; quos etiam [d] et maiestate potentiae ad prae-
* f. 29v sentis usum vitae divina * posset dextera revocare, inflexibili tamen obsistente iustitia, nulli talium in Scripturis canonicis hoc legimus praestitisse.

Rursum autem inter extrema haec duo quasi mediä mediocriter bonos et mediocriter malos constituunt [1]. Quorum primi quidem aliquid de

[a] C *corruptioni*. [b] C *nequamquam*. [c] C *uncumque*. [d] C *tiam*.

[1] Duplicem locutionem « mediocriter boni » et « mediocriter mali » iam proposuerat P. Lombardus, *IV Sent.*,

imperfectione iustitiae retinentes a supernis mansionibus purgatoriis sedibus differuntur, ita ut nisi praecedentibus meritis propriis aut alienis suffragiis accedentibus absoluta possunt libertate transire. De hoc decedentium genere multos arbitror, sola Dei clementia misericordiam praerogante, nonnunquam suffragio accedente, ad uberiorum meritorum copiam conquirendam exstitisse [a] vocatos aut tergendam certe poenis praesentibus contracti piaculi cautionem. De mediocriter autem malis, licet quidam maiorum [b] senserint quod ad mitigationem damnationis suae carorum eis vel sanctorum etiam suffragia conferant post excessum [1], quanquam salva fide probabiliter, pie tamen, super hoc valeat dubitari, utrumne quisque etiam talium ad merendi statum ab inferis

[a] C *extisse.* [b] C *malorum.*

Dist. 45, c. 2. At non sequitur ex Augustini doctrina in *Enchiridion,* c. 109 (Migne, PL 40, 283), tradita. Ibi enim S. Doctor de triplici solummodo genere dormientium verba facit, de « valde bonis » scilicet, de « non valde malis », et « valde malis » tandem, per « non valde malos » intelligens defunctos purgatorio adscriptos.

1 De hac opinione, quae fuit P. Lombardi, l. c., Praepositini et aliorum, cf. S. Bonaventura, *IV Sent.* Dist. 46, art. 1, q. 1 et 2.

*f. 30r sit * reversus, ignoro; si tamen opinione ratiocinante deducar, id penitus diffitendum, salva semper auctoritate potentiae infinitae, concedo.

Quamvis etiam inter resuscitatos ipsos magna possit, praeter eam quae dicta est, diversitas demonstrari. Aliquando enim ex abundantia gratiae miserentis Dei quorumdam electorum animae ante iudicium ultimum sic corporibus uniuntur, ut inseparabili societate coniunctae futurae post iudicium generaliter omnibus gloriae primitias obtinentes nulla unquam discidii molestia dissolvantur: sicut de testibus Christi resurgentis multi certe maiorum rationabiliter autumant et de Virgine gloriosa matre Domini sancti quidam pie satis affirmant. Plerumque vero [a] non simpliciter, sed ad tempus, ut videlicet merita, sicut dixi, sancti ampliora conquirant sive etiam ad profectum aliorum, ac postmodum statuto sibi termino censum mortis exsolvant, quorumdam animae revocantur ad corpus: sicut in Lazaro et Tabitha necnon et aliis pluribus tam in veteri quam in novo colligitur Testamento [b] et idipsum plane sanctorum plurium sententiis approbatur.

*f. 30v Postremo autem sic quorumdam * corpora susci-

---

[a] C *verbo.* [b] C om.

rtantur quoad [a] tempus solummodo nec ad meri-rtum sibi comparandum, sed ad alicuius effectus ostensionem, tanquam motum per [b] membra corporis anima administret: sicut Moyses transfigurato Domino comparens post expletum attestationis obsequium corpus illud quod ad tempus assumpserat deposuit, et iuxta quosdam Samuel [c] propheta divino nutu Sauli praenuntians casum suum, post incussam contemptori et auguri consternationem, relicto corpore sic suscepto, sedibus abditis se recepit.

Auditor. Libet sane, licet inscie, de resuscitatis dormientibus opinionis meae sententiam protulisse, dum te[i] multa quaestionum et voluminum [d] brevi in compendio prudenter aspicio dissolvisse. Sed nunc rogo, ut coeperas, ad ulteriora progredere, et si qua narranda memineris, supradictis adiunge.

Narrator. 37. Miles quidam de Salva Terra, Aleardinus nomine, cum ab ineunte discretionis tempore foret haeretica pravitate delusus, auditis mirabilibus dicti patris, die quadam cum uxore ac familia Paduam * veniens, constitutus in mensa *f. 31r*

[a] C *quod ad.* [b] C om. [c] C *et iuxta quosdam Samuel deposuit* pro *d. e. i. q. S.* [d] C *volu* cum spatio vacuo.

cum prandentibus ceteris super miraculis Antonii conferebat. Asserentibus autem illis [a] ipsum fore veraciter sanctum Dei, et [b] evacuato quem [c] manu tenebat cyatho vitreo, in haec verba fere prorupit: « Si cyathum istum inconcussum servaverit, quem vos sanctum asseritis, vera fore cetera fatear, quae de ipso mihi persuadere contenditis ». Proiectoque de solio in quo [d] consederant ad prandendum super pavimentum cyatho [e], dictu mirabile! collisum lapidi vitrum restitit et, videntibus multis in platea prope adstantibus, inconcussum permansit. Quo viso miraculo, poenitentia ductus ad vitrum impiger miles ipse prosiluit illaesumque secum perferens, quae dicta vel facta fuerant, cuncta per ordinem [f] enarravit. Facta ergo confessione peccaminum, iniunctam sibi poenitentiam humili devotione suscepit et fideliter adhaerens Christo, virtutem eius [g] constantissime praedicabat.

Auditor. Cumque scriptum sit [1]: *Non tentabis Dominum Deum tuum*, miror valde quid

[a] L add. *illum*. [b] L om. [c] C *quoque*. [d] C om. [e] C *cito*. [f] L add. *fratribus*. [g] C add. interl.

[1] Matth. IV, 7.

causae fuerit quod illisum vitrum lapidi inconcussum permansit, quod irrisor gratiae sic proiecit. *

* f. 31v

Narrator. Multa saepe contra fidem et merita impiorum, permittente vel potius operante Deo, mira proveniunt, quae, licet ipsis nescientibus quibus fiunt, *vasis* tamen *misericordiae* [2] ad aedificationem proficiunt pietatis; nonnunquam vero ex super*abundantia gratiae et donationis* [3] Christi tentatores ipsos ad confessionem misericorditer sicut in proposito patet invitant, aut occulto certe iudicio irrisores gratiae vel potentiae contemptores excaecant; saepe etiam pro purgando quod inerat reatu infidelitatis exercent.

38. Nam [a] et quidam clericus de Anguillaria, Guidotus nomine, cum die quadam constitutus in camera domini episcopi paduani testes super miraculis patris sanctissimi deponentes clanculo derisisset, nocte sequente per totum corpus dolore coepit validissimo perurgeri ita, quod absque dubitatione qualibet mortis sibi iudicium crederet imminere. Indignum enim se misericordia

[a] C praem. rubr. *De irrisore percusso et sanato;* inferius, ad 39, *De naufragis.*

[1] Rom. IX, 23. [2] Rom. V, 17.

reputans matrem suam humiliter precibus adiit et, ut sanitatis gratiam consequi [a] mereretur, quod [b] *f. 32r in fide sua votum sancto faceret * obsecravit. Quo facto, ante diem convaluit lucescentem, et qui veritatis testes irriserat infidelis, testis et ipse publicus veritatis effectus, Christi gloriam praedicavit.

39. Forte die quadam viri simul et mulieres numero ferme XXVI, ut Venetias tenderent navem unam apud Sanctum Hilarium conscenderunt. Cumque hora completorii ad lacunam iuxta Sanctum Georgium de Alega pervenissent, orta tempestate gravissima, ad locum [c] praedictum refugere conabantur. Praevalescente autem turbine conquassati ad incognita sibi prorsus loca delati sunt; nam caligo quaedam cum vento simul et pluvia ita spissa desuper incumbebat, ut se invicem vix videntes de salute penitus desperarent. Facta denique confessione peccaminum et a sacerdote qui intererat absolutione suscepta, cum clamoribus ac lacrimis ululantes Deo et beato Antonio se suppliciter devoverunt. Statim autem facto voto circa navem procella quievit; incumbentibus tamen tenebris, ubi forent vel quo

[a] C *conqui.* [b] CL om [c] C *locutum.*

* tenderent, nemo praesentium recognovit. Et ecce * *f. 32v*
de navi [a] lux egressa resplenduit, quae navigantes et collacrimantes prae laetitia praecedebat et eosdem ad locum Sancti Marci Parvuli iuxta Venetias salvos duxit. Quo cum patris sanctissimi meritis de manu mortis eruti pervenissent, mox praeambulum ab eorum oculis lumen disparuit et in tuto positis ducatum ultra subtraxit.

Auditor. Audire mihi videor simile aliquid his, quae beati Nicolai tempore naufragis contigerunt [1].

Narrator. Comparare quidem merita sanctorum difficile extimo, sed nec tutum esse confirmo. Nempe enim, si ex visibilium exhibitione signorum ipsa pensamus, invenimus saepe nonnullos minora certe et etiam pauciora vel nulla ante oculos hominum miracula perpetrasse, quos tamen iuxta communem extimationem novimus perfectionis signa maioris in vita et moribus tenuisse. Quocirca si admiratione dignum extimas quod beati Nicolai tempore [b] liberatis naufragis legimus con-

[a] C *mavi.* [b] C in marg.

[1] Cf. B. Mombritius, *Sanctuarium seu vitae sanctorum,* Parisiis 1910, II, p. 300; Surius, *Historiae seu vitae sanctorum,* Taurini 1880, XII, p. 184.

* *f. 33r* tigisse, non minoris quiddam mira-*culi referam, quod inter approbata sancti [a] patris gesta me recolo reperisse.

40. Mulier [b] quaedam de Monte Silice iter faciens versus Paduam cum viro suo, comitantibus eam mulieribus aliis, praeconceptam mentis suae laetitiam verbis et risibus ostendebat; maritus enim eius nuper ante promiserat, quod ad sancti Iacobi visitanda secum limina ipsam duceret, ut petebat. Volens igitur vir [c] praedictus iucunditatem eius et risum pariter temperare, mulieri dixit: « Quid tot verbis et risibus laeta diffluis ac spe vana decepta gestu solveris importuno? Scias me omnino mutasse propositum et nequaquam quo tu properas profecturum ». Cumque maritus verbis eam eiusmodi valde exasperans [d] perstitisset, post longa tandem silentia mutato vultu mulier intulit obiurganti: « Nisi promissum [e] peregrinationis munus opere compensaris [f], noveris me in nomine Iesu Christi ac beati Antonii aquis istis, quae praeterfluunt, submergendam ». At ille nequaquam [g] fidem adhibens ver-

---

[a] C *sibi*. [b] C praem. rubr. *De muliere in aqua proiecta et salvata*. [c] C *ubi*. [d] C *experans*. [e] L add. *mihi*. [f] L *compensaveris*. [g] C *nequamquam*.

bis eius, quin potius obfirmata facie stultam [a] vocans, promissum solvere constantius denegabat. * Sublata ergo fiducia ac spe omni frustrata in- * f. 33v felix mulier manus in se convertit et, beati Antonii nomine invocato, se praecipitem aquis dedit. Videntes autem mulieres quae aderant mediis fluctibus volutantem, stupefactae nimis cursu rapido advolabant et feminei pudoris oblitae, madefactis natibus ac totis vestibus, aquis extrahunt obvolutam. Quam, cum educta foret, in littore collocantes, mirum certe quod narro! mulieribus ceteris contorquentibus vestes suas et aquarum copiam educentibus, ipsa vero nec filo subtegminis humefacto super ripam fluminis inventa est. Quod quidem factum etsi fatuitati potius adscribimus quam virtuti, patris tamen sanctissimi hoc [b] apud Deum merita potuisse credimus obtinere, ut, quem verae [c] simplicitatis semper amicum exstitisse cognovimus, simplicitatem feminae licet stultam mediis fluctibus conservaret illaesam.

Auditor. Liquet [d] quia sanctorum merita nonnunquam vota simplicium dirigunt et petita suffragia ad utilitatem vel correptionem saepe petentium, Deo per ipsos operante, concedunt. * * f. 34r

---

[a] C *stulstam.* [b] L *haec.* [c] L *vere.* [d] C *licet.*

Narrator. Ad utilitatem sicut asseris postulantium, sive negando seu faciendo quod petitur, sanctorum semper suffragia militare non ambigo. Quia vero saepe quod pro loco vel tempore petenti non expedit postulatur, ad correctionem petentium [a] indiscrete, permittente Deo, multa concedunt. De quibus unum exempli causa commemoro, quod inter [b] alia virtutum eius gesta mulieri cuidam impertitum ad mentem reduco.

41. Soror quaedam servitialis de Ordine pauperum Dominarum, Oliva nomine, cum adhuc patris sanctissimi corpus existeret insepultum, accessit supplex et deosculans manus eius; inter cetera quae rogavit, indulgeri sibi meritis eius petiit, ut poenam omnem, quam peccatis exigentibus [c] meruisset, in praesenti sibi Deus infligeret [d], nec puniendum quidpiam in posterum reservaret. Oratione vero facta, monasterium mulier subiit; moxque per omne corpus dolore validissimo cruciata, prae immensitate doloris se metipsam ferre non valuit, sed sorores ceteras stridoribus admodum perturbavit. Quae vero, re-
* *f. 34v* cepta [e] paululum * valetudine, circa noctem die

---

[a] C *penitentium.* [b] C *in.* [c] C *exientibus.* [d] C *inflingeret.* [e] C om.

sequenti cum sororibus ceteris simul ipsa refectorium clanculo subintravit [a]; et ad mensam cum aliis constituta iteratis coepit subito doloribus perurgeri ita, quod nequaquam [b] cibum sumeret, sed parturientis more super mensam huc illucque se volveret et clamaret. Iubente igitur abbatissa, ad infirmariam delata est et, quae sibi votis omnibus in praesenti poenam infligi poposcerat, multiplicatis precibus ab eodem remedia flagitabat. Tandem autem reminiscens mulier quamdam apud se tunicae sancti particulam habere reconditam, mox allatam [c] sibi super corpus ducens applicuit, ac confestim dolor omnis abscessit.

42. Item [d] mulier quaedam de Trimegone, Iuvitta nomine, cum auditis mirabilibus sancti patris ad sepulcrum eius summo desiderio aestuasset, nec veniendi facultatem haberet, eo videlicet quod ad effugandum [e] importunitatem passerum a panico, quod albebat [f] ad messem, custos exsti-
terat con-*stituta, die quadam veniens ad clau- * *f. 35r*
strum qua praedictum panicum cingebatur, sancto

---

[a] C ante corr. *subministravit.* [b] C *nequamquam.* [c] C *ablatam.* [d] C praem. rubr. *De panico a passeribus custodito;* inferius, ad 43, *De puero percusso et sanato.* [e] L *effugandam.* [f] C *bet,* L *habebat.*

Antonio votum vovit quod, si illud a [a] passeribus custodiret intactum, sepulcri eius locum novem vicibus [b] visitaret. Facto autem voto, confestim uno agmine magna dictarum avium multitudo a clausura discessit, nec super salices panicum ambientes ullus, quem cerneret, passer remansit.

Auditor. Putasne vota [c] supplicum sanctis facta nec tamen exhibita promittentes addicant, cum praesertim sancti ipsi emolumenta temporalia non requirant?

Narrator. Cum scriptum sit [1]: *Si quid vovisti Deo, reddere ne moreris: displicet enim ei infidelis et stulta promissio: multoque melius est non vovere quam post votum promissa non reddere,* fatendum credo nec sanctis ipsis gratum existere quod suo Domino cognoverint displicere. Nam et saepe subtractione remedii videntur exquirere quod in votis fidelium promissum constat ac debitum exstitisse.

43. Nam cum puer quidam de civitate pa-
* *f. 35v* duana [d], * Henricus nomine, inflato collo tolerasset maximam per dies xv passionem, mater ipsius sollicita vovit sancto caput cum collo ce-

[a] L om. [b] C om. [c] C bis *vota*. [d] C *puduana*.

[1] Eccl. V, 3 sq.

reum ad eius se tumulum delaturam. Cumque die [a] quadam filium suum ad sepulcrum patris sanctissimi deduxisset, reversus ad propria dictus puer sanitatem colli continuo est adeptus. Dissimulante vero matre votum reddere quod promisit, collum pueri iterato coepit [b] inflari ac dolore pristino perurgeri; at illa reatus sui conscia merito doluit et promissum caput cum collo cereum ad sepulcrum sancti transmisit. Quo facto, tumefactum collum subito recedente dolore resedit, et diebus paucis interpositis sanitati plenariae [c] restitutus est [d].

Auditor. Multa sane ac mira sunt valde, quae narras; sed rogo, ne pigeat, si quid adhuc de eiusdem gestis mente retines, explanare.

Narrator. 44. Miles quidam de Campo Rotundo, Bartholomaeus nomine, filiam suam habebat infirmitate lapidis aggravatam * ita, quod *f. 36r* quibusdam [e] anni temporibus velut canis angustiae atrocitate latraret. Cuius mater compassione filiae dolore nimio sauciata suppliciter ac devote beato Antonio votum vovit deprecans, ut capitam dictae filiae sanitatem reddere dignare-

---

[a] C om. [b] L *coepit iterato* [c] L *plenarie.* [d] L *restituitur* pro *r. e.* [e] C *quibus.*

tur. Quo emisso, lapillum quemdam continuo [a] per inferiora puella [b] proiecit ac deinceps aegritudinis praelibatae nullam pertulit passionem.

Haec [c] igitur supradicta et pleraque alia virtutum signa Dominus maiestatis per servum suum Antonium operari dignatus est, *quae non sunt scripta in libro hoc* [1]. De multis tamen haec decerpendo pauca conscripsi, ut et laudi eius adicere cupientibus occasionem ministrarem ac brevitate stili legendi studium provocarem. *Si* enim *per singula scriberentur* [2] signa eius, timeo, ne sicut multitudo fastidium, ita etiam et magnitudo operum dissueta infirmorum mentibus dubietatis scrupulum generaret [d].

---

[a] C *contunuo*. [b] L om. [c] CL praem. *Narrator*. [d] CL add. *Explicit de vita et miraculis sancti Antonii*.

---

[1] Ioan. XX, 30. [2] Ioan. XXI, 25.

II.

De fratre Benevenuto de Eugubio qui iacet in Corneto.

Auditor. Fama divulgante, nonnullos saepe fratrum nostri Ordinis alios audivi * multa admiratione digna gessisse; sed incertum abnuens [a], si quid de eiusmodi retines certum, mihi deprecor [b] aperiendo procedas [c]. *f. 36v

Narrator. Fuit vir quidam de Eugubii partibus oriundus, Benevenutus [d] nomine, qui iuxta sui rem nominis divini muneris benedictione praeventus, vitae venerabilis gratia necnon morum honestate conspicuus, miranda cunctis aut potius imitanda sanctae conversationis insignia posteris

---

[a] C *annuens.* [b] L *de praedicto.* [c] C add. rubr. *De vita et miraculis beati Benevenuti.* [d] C pluries *Benevenutus,* alias *Benutus.*

dereliquit. *Litteras* namque *cum non didicisset* [1] ignorans, virtutem litterae plus *opere* quam *sermone* monstrabat, *in mandatis et iustificationibus Domini sine querela* [a] procedens [2]. Denique nacta salutis occasione perfecta, quid [b] pio gerebat in pectore, operis attestatione firmavit ac, spretis oblectationibus mundi huius, gloriosi patris Francisci vestigiis toto nisu mentis se iungere satagebat.

Quid multa? Receptus ad Ordinem fratrum Minorum, mox vir Dei humilitatis suae experimenta declarans, de mandato sancti patris Francisci ad serviendum leprosis humiliter se subie-
f. 37r cit humanitatis eis obsequia * ministrando, pedes illorum et corpora saepe manibus abluens et reiecto fastidio saniem ulcerum effluentem a putrefactis membris extergens. Obedientiae quoque virtutem tanto mentis culmine possidebat [c], quod ad omnia praelatorum suorum mandata proclivus [d] et impiger sine mora [e] curreret exequenda, nec iniunctam [f] sibi obedientiam, sicut asserunt qui viderunt, occasione qualibet recusaret.

---

[a] C om. [b] L *quod*. [c] C *possidebant*. [d] L *proclivis*. [e] C om. [f] L *indictam*.

---

[1] Ioan. VII, 15. [2] Luc. XXIV, 19 et I, 6.

In infirmitatibus autem suis mira cernentibus patientiae virtute pollebat, in tantum quod nequaquam [a] vel minimum [b] turbationis indicium signo [c] monstraret; quin potius, iuxta Pauli sententiam [1], gloriosum sibi existimans exteriori homine infirmari, fortiorem gestu se asserens et potentem, Christi virtutem mansione continua sui cordis hospitium possidere signavit.

Paupertatis insuper sanctissimae zelator existens, vix extrema victus et habitus necessaria requirebat; ac iustitiae cultor pius quietem silentii observabat. Super afflictos vero [d], pauperes et infirmos pietatis visceribus affluebat; et delictis alienis caritate fraterna compatiens velut propria deplorabat. Porro contemplationi sanctae deditus * orationum studia in negotia lacrimarum convertere satagebat; et licet saepius in orationibus pernoctaret, consuetudinem tamen sibi fecerat usque in tertiam horam nequaquam [e] in publicum se sufferre, ne perceptae suavitatis delicias occupatione qualibet immutari seu minui pateretur. Tantae demum, sicut asserunt, hone-

* *f. 37v*

[a] C *nequamquam.* [b] C *minium.* [c] C *signa.*
[d] C in marg. [e] C *nequamquam.*

[1] II Cor. XII, 10.

statis exstitit servus Dei, quod in [a] verbis eius aut gestis *puerile nihil* [1] aut levitatis indicium aliquod apparebat; sed e contrario gravitatis eximiae gratia redimitus incedens, conversatione laudabili virtutis speculum et aedificationis specimen [b] intuentibus exhibebat.

Huius igitur tam mirandi viri gesta omnia non cognovi, sed haec pauca, quae brevitatis causa praelibando perstrinxi, fratrum fide dignorum relatione necnon et testium iuratorum [c] depositione veridica intellexi. Quanti tamen meriti apud Deum [d] fuerit, virtutum eius mira declarant, quae, sicut ex subscriptis patebit indiciis, apud Cornetum Apuliae castrum in oculis omnium operari non desinit omnipotentia Conditoris.

Ad uberiorem quoque miraculorum fidem legen-
* *f. 38r* tibus afferendam disquisitorum * nomina per sedem apostolicam transmissorum simul etiam et commissionis formam duxi praesentibus exprimendam, quatenus, tantae claritatis lampade *super candelabrum* christianae religionis *accensa* [2],

[a] L om. [b] L *speciem.* [c] C *iuratorium.* [d] L *Dominum.*

[1] Tob. I, 4. [2] Matth. V, 15.

universis intra domum Ecclesiae unitate fidei consistentibus gestorum veritas illucescat et nequaquam ultra his, qui foris sunt, suspicionis perfidae aditus relinquatur.

Anno siquidem dominicae Incarnationis m°cc°xxxvi°, mense madii, nos R. [1] *melfiensis, Risandus* [2] *melficiensis, et Bonus* [3] *venusinus, Dei gratia humiles episcopi, litteras ab apostolica sede recepimus sub hac forma:*

« *Gregorius episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus melfiensi et melficiensi et venusino episcopis, salutem et apostolicam benedictionem.* Mirabilis Deus in sanctis suis [4], *ut suae virtutis potentiam* [a] *mirabiliter manifestet et salutis nostrae causam misericorditer operetur, fideles suos, quos post consummationem laborum coronat in caelo, frequenter etiam honorat in mundo ad eorum memoriam signa faciens et prodigia, per quae pravitas confundatur haeretica* * * *f. 38v et fides catholica confirmetur. Nos ergo quales*

[a] C *potentia.*

[1] Richerius. Cf. Eubel, *Hier. cath. medii aevi*, I, p. 349; *Acta sanctorum*, ad diem 27 iunii, n. 4. [2] Deest apud Eubel, l. c., p. 350. [3] Cf. Eubel, l. c., p. 551; *Acta sanctorum*, l. c. [4] Ps. LXVII, 38.

possumus, etsi non quantas debemus, omnipotenti Deo gratiarum referimus [a] *actiones, quod diebus nostris ad confirmationem catholicae fidei et confusionem haereticae pravitatis evidenter* signa innovat *et* mirabilia *potenter* immutat [1], *faciens illos coruscare miraculis, qui fidem catholicam corde simul et ore necnon et opere tenuerunt. Sicut enim dilecti filii clerus et populus cornetanus nobis per dilectos filios Bealsamum* [b] *diaconum* [c] *et Iacob iudicem, nuntios suos, et litteras intimarunt, et quorumdam episcoporum ac religiosorum praesentatae nobis litterae continebant, Dominus tantam piae memoriae fratri Benevenuto de Ordine Minorum fratrum contulit gloriam, quod sepulcrum eius tot et tantis dat miraculis coruscare, ut inter* [d] *alios sanctos eius non invocari suffragia sit indignum. Quare nobis humiliter supplicarunt, ut super miraculis, quae per eum Dominus operatur, testimonia recipi faceremus. Verum quia in tam sancto negotio non est nisi maturitate* [e] *et gravitate praevia procedendum, de*

[a] C *rerimus.* [b] L *Balsamum.* [c] C *diaconem.* [d] C *in.* [e] C *maritate.*

[1] Eccli. XXXVI, 6.

*discretione vestra plenam in Domino fiduciam obtinentes * fraternitati vestrae per apostolica* *f. 39r*
scripta mandamus, quatenus, accitis vobis viris religiosis Deumque timentibus, de virtute morum [a] *et veritate signorum, operibus videlicet et miraculis, diligentius* [b] *inquirentes, depositiones testium receptorum sub sigillis vestris servetis inclusas, ut, cum a nobis fueritis requisiti, ad sedem eas apostolicam fideliter transmittatis; quod si non omnes his exequendis poteritis interesse* [c]*, duo vestrum nihilominus exequantur. Data* [d] *Viterbii* [e]*, xiv° kalendas aprilis, pontificatus nostri anno x°* [1] *».*

Nos ergo Cornetum personaliter accedentes, ob causam Dei cuius negotium agebatur [f] *et reverentiam delegantis, cura sollicita et diligenti studio mandatum sedis apostolicae, sicut debuimus, effectui curavimus* [g] *mancipare. Ubi accitis viris religiosis, fratribus scilicet Minoribus cum quibus* [h] *idem exstitit conversatus, et aliis*

---

[a] CL om. [b] C *dilientius*. [c] C post corr. [d] L *datum*. [e] C *Biterbii*. [f] CL om. [g] CL *accuratius*. [h] C *quibusdam*.

---

1 Cf. Wadd. ad an. 1232, n. 19, et Sbaralea, *Bull. Francisc.* I, p. 189.

pluribus fide dignis, de virtute morum et conversatione laudabili dicti fratris inquisivimus diligenter; qui a [a] *nobis iuramento constricti tam universi quam singuli, quorum nomina singulariter inferius exprimuntur, supra prae-*
* *f. 39v* *dicta sanctitatis eius insignia et subicienda* * *miracula deposuerunt omnia coram nobis* [1].

1. Frater Nicolaus, guardianus fratrum in Corneto, de miraculorum fratris Benevenuti veritate iuratus dixit quod, cum [b] post iuramentum de veritate dicenda praestitum coram dicti fratris tumulo [c] constitutus humiliter supplicaret, ne in depositione sua permitteretur errare et ut [d] in signo aliquo vel pronostico manifesto sibi Dominus revelaret quod de fratre Benevenuto secure ac sine scrupulo cordis sui testificari valeret, elevatis in caelum oculis, librum quemdam aperuit et in signum sibi caelitus ostendendum digitum posuit super cartam, in [e] qua verbum [2]

---

[a] C *quia*. [b] C om. [c] C om. [d] C om. [e] C add. interl.

---

[1] Bollandistae, *Acta sanctorum*, ad diem 27 praedictam, plura B. Benevenuti miracula « ex schedis Mss. Antonii Caraccioli » edita habent; sunt autem illa, aliis additis et verbis diversis, sub nn. 3, 2, 4, 5, 7, 9, 6, 8, 10, 11, 24, 25-27. [2] Luc. XXIII, 47.

istud apparuit sub eodem digito scriptum fore: *Vere hic homo iustus erat.*

2. Miles quidam de Corneto, Dactus nomine, de miraculorum eius fide iuratus asseruit quod, cum mense octobri [a] vindemiatoribus in vinea quadam operantibus superstaret, clamorem et ululatum mulierum ac puerorum audivit immensum; cumque stupefactus accurrens requisisset sollicite quid hoc esset, responderunt puellam quamdam ferme triennem * in puteum cecidisse. * *f. 40r* Descendens igitur dictus miles in puteum festinanter, cum ob altitudinem aquae minime manibus eam tangere non valeret, iacentem in profundo [b] putei pedis suffragio sublevavit. Quam cum extracta esset collocans super terram, indagari coepit, utrum in ea vitae spiritus remansisset. Cumque facta perscrutatione sollicita puellam mortuam reperisset, utpote totaliter frigidam [c], livescentem, motu quoque membrorum sensuque carentem, tractare cum adstantibus coepit de corpusculi sepultura. Quia tamen absentes erant parentes eius, adventum eorum definito consilio expectabant. Interim dictus miles ac alii circumstantes universos qui aderant

[a] C *octubri.* [b] C *profundum.* [c] C *fridam.*

hortabantur, ut fratri Benevenuto devotissime supplicarent, quatenus pro resuscitatione virginis interpellaret ad Deum. Cunctis igitur orantibus et suspiria lacrimosa trahentibus prae dolore, puella tandem vocem flebilem audientibus illis emisit. Apprehendensque miles dictus continuo pedes eius demisso capite reversavit eam-
* *f. 40v* dem, et in quantitate * non modica aqua exivit per os eius, apertisque palpebris revixisse spiritum designabat. Venientes autem parentes eius et audito quod contigerat, filiam suam cum multitudine populi qui convenerat assumpserunt; et intrantes Cornetum Deo et fratri Benevenuto super facto miraculo dignas grates persolverunt. Quia vero ut [a] plene vivida puella contuentibus non apparebat, ante tumulum dicti fratris statuentes eamdem, cum ibidem aliquantulum commorata fuisset, ipsius meritis vivificationem plenariam assecuta cunctis videntibus per ecclesiam ambulavit, et comitantibus eam multis ad propria cum parentibus remeavit.

3. Alius quoque miles, Tirellus nomine, de Corneto, cum VII de uxore filias suscepisset, masculinam sibi prolem tam vir quam mulier a

[a] C *aut.*

fratre Benevenuto dari suppliciter postulabant, promittentes quod nato filio nomen eius imponerent, si eorum desiderium misericorditer adimpleret. Susceptum ergo filium Benevenutum minime, sicut voverant, nominarunt. Unde accidit, sicut credunt, quod idem parvulus scabiosus *** *f. 41r* effectus sit, et per totum corpus eius horribiles pustulae apparerent; propter quod ipsi coniuges verecundia ac timore perculsi distulerunt puerum baptizare. Sicque trium fere mensium spatio decurrente, nocte quadam volens mater lactare puerum a cunabulis levavit eumdem, et lactatum filium iuxta se in lectulo collocavit. Cumque paululum obdormisset, evigilans subito pater eius aspexit cunam, et non viso filio stupefactus coepit eum quaerere [a] ad latus coniugis dormientis. Quo non invento, de lecto descendens festinanter requisivit sollicite a nutrice ubi puerum posuisset [b]; compertoque quod ipsum puerum minime tetigisset, excitavit uxorem, et quid de filio fecerat curiosius inquisivit. Porro stupefacta mulier ad auditum filii, cum eumdem iuxta se minime reperisset, descendit celeriter de grabato, et cum viro pariter curiosius natum

[a] C *quere.* [b] C *pusuisset.*

quaerens lapsum tandem reperit iuxta parietem ac defunctum. Extrahentes igitur puerum, cum moerore deliberabant quid facturi essent de filio
* f. 41v nondum sicut praediximus baptizato. * Sacerdoti autem ecclesiae et amicis ac consanguineis [a] evocatis factum eiusmodi cum ululatu et lacrimis declamabant. Increpato autem patre ab accitis quod eumdem minime permiserit baptizari [b], unanimiter decreverunt, ut ante diem secretius conderetur, ne scientes hoc homines parentes pueri deriderent. Asserentibus igitur omnibus et dato consilio praeter patrem, exclamavit et dixit: « Nequaquam fiet istud, sed illi reddam filium meum mortuum, per quem [c] habui eum vivum ». Sic fatus accurrens accepit puerum in ulnis suis, et reclamantibus aliis medio noctis tempore ad sepulcrum fratris exivit et, matre pueri pansis [d] crinibus insequente cum clamore et lacrimis, multis comitantibus, filium suum super fratris tumulum collocavit dicens: « Sancte Benevenute! ecce filium tibi offero mortuum, quem tuis meritis gloriosis mihi deprecor reddi vivum ». Compatientes quoque qui aderant dolori eius,

---

[a] C *consanguis.* [b] C in marg. [c] C om. [d] C *spansis.*

cum lamentis et lacrimis se prostrantes in terram usque ad horam matutinalem in ora-*tio-* f. 42r
nibus perstiterunt. Et ecce, pulsantibus matutinis in loco fratrum, coepit puer cunctis videntibus quasi a somno cum voce murmuris excitari; quem redivivum mater cernens accurrit et cum ingenti gaudio laudans Deum filium suum fecit in proximo solemniter baptizari.

4. Petrus quidam, cognomento Taccarus, de miraculorum fide iuratus dixit quod, cum die quadam in parte Corneti cum aliis constitutus vidisset quemdam currum ducere tritico oneratum, nec posset ipsum regere aut habenis equum compescere eo quod curreret in declivum, puer quidam duodennis sedens asino in ingressu portae currenti currui casualiter obviavit; carruca vero vehementer asinum impingente, puer cecidit et in transitu decurrentis, quia plurimum arctus erat, sub rota remansit. Flebant igitur omnes, qui aderant, haec [a] videntes et clamore valido perstrepentes dixerunt: « Sancte Benevenute! succurre, succurre, ne puer quadrigae impetu opprimatur! » Auriga vero prae timore mortis aufugit, * eo quod dextram quadrigae rotam super * f. 42v

[a] L *hoc*.

crura pueri pertransire secernit [a]. Accurrentibus ergo multis, ut eum, quem putabant oppressum letaliter, relevarent, coepit puer venientibus acclamare [b]: « Nolite metuere, quia currus transiens non me laesit, pro eo quod frater Benevenutus, cuius auxilium petii, cum super [c] crura mea curreret, me ab eius impetu liberavit ». Intrans igitur in Cornetum multis comitantibus ad sepulcrum dicti fratris accessit et de collato beneficio Deo debitas gratiarum retulit actiones.

5. Rogerius Ioannis Ferrarii de castro Sanctae Agathae iuratus dixit quod, cum die quadam ob reverentiam obitus fratris Benevenuti ad ramos incidendos pro faciendis umbraculis arborem populi conscendisset, runcam [d] quamdam ac securim cingulo deportabat appensas. Cumque ramis insisteret praecidendis, accidit ut ramusculus, cui toto insederat corpore, frangeretur. Apprehenso vero sinistra ramo altero, sed debilitatem sentiens ac mortis sibi iudicium immi-
* *f. 43r* nere perpendens, voce altissima ex-*clamavit: « Sancte Benevenute, adiuva me! » Fracto denique ramo cui pendens inhaeserat ac labente, corruit super [e] stipitem arboris in eo pectus alli-

[a] C om. [b] C *acclare.* [c] L *supra.* [d] CL *rucham.* [e] C om.

dens impetu vehementi ita, quod omnes, qui viderant casum eius, de vita ipsius penitus desperarent; sed, faciente Deo meritis dicti fratris, mox qui cecidit exsurrexit illaesus, et Deo debita veneratione laudes [a] persolvens pedibus suis ad propria remeavit.

Auditor. Magna plane ac praepotens apud Deum est virtus fidei christianae, qua defuncti corpus [b] pueri ad tactum tumulum viri Dei, sicut supra dixisse te recolo, resurrexit.

Narrator. Laudabilis prorsus virtus fidei et pro meritis admiranda. Sed profecto non tota semper beneficiorum exhibitio [c] fidei meritis, sicut arbitror, adscribenda est. Saepe namque modicitatem fidei supergreditur dignitas postulati: cum nimirum supernus Artifex pro sui nominis gloria vel sanctorum memoria dignius excolenda fide parvulis ex praesentia vel contactu pignorum sacratorum * beneficia postulata concedit; quae pro- * *f. 43v*
fecto petentibus iuxta suae meritum fidei, quod exile prospicit et enerve, non foret alias largiturus. Quod revera in libro Regum [1] congrue legimus figuratum; ubi post transitum Elisei pollinctores

[a] C om. [b] C *corporis*. [c] C *exbitio*.

[1] IV Reg. XIII, 21.

quidam *sepelientes* mortuum, sed timentes *latrunculos* moabitas, *in sepulcro* viri Dei *cadaver* mortui *proiecerunt; quod cum tetigisset ossa* prophetae, *revixit homo et stetit* supra *pedes suos*. Pollinctores namque mortuum sepeliunt, cum plerique peccata sua sub terrenae vitae necessitatibus excusantes abscondunt. Quod nimirum tanquam noxium [a] et impeditivum iustitiae propheta sibi abesse desiderat, cum exorat [1]: *Non declines cor meum in verba malitiae ad excusandas excusationes in peccatis*. Sed hi [b] saepe, cum peccata, licet occulta proximis, nota tamen daemonibus non ignorant, ad sanctorum suffragia de propriis quasi meritis desperantes accurrunt, ac timentes latrunculos infernales cadaver mentis
* *f. 44r* exanime * imperfecta confessione proiciunt, et super [c] infirmitates corporum sanctorum certe reliquias [d] sanitatis gratia applicare contendunt. Ad quarum [e] tactum nonnunquam supra fidei suae meritum vitae spiritalis gratiam aut sanitatem etiam quam expetunt corporalem ipsis mediantibus nanciscuntur, saepe vero occasione remedii

[a] C *noum*. [b] C *hiis*. [c] C *ut sepe*. [d] C *reliquiis*. [e] C *quorum*.

[1] Ps. CXL, 4.

sic adepti ad utiliora virtutum merita affectione simul et opere quasi pedibus ambulando proficiunt.

Auditor. Collationes tuae, fateor, esurienti animae satietatem exhibent, et tamen affectum cordis ex responsione prudenti semper innovant ad auditum. Unde deprecor, ut praedictis promissis insistas et quae restant incunctanter aperias.

Narrator. 6. Matrona quaedam, Stellentia nomine, de Corneto, iurata deposuit quod, cum filium haberet x annorum spatio epileptica peste gravatum ita quod tam die qualibet quam nocte per decennium vexaretur, ipsum saepius in aquam [a] aut in ignem [b] aut in [c] diversa pericula alia dicta infirmitas impingebat [d]. * Auditis autem mirabilibus quae fiebant, de nati mater sanitate sollicita ipsum ad fratris Benevenuti funus, dum adhuc existeret insepultum, facto voto portavit. Assistente vero circa corpus, invasit eum acrius solito morbus ipse ita, quod horribilitatem passionis quamplures [e] intuentium non ferentes ab ecclesia recesserunt. Tandem autem meritis sancti

f. 44v

---

[a] C *aqua.* [b] C *igne.* [c] C om. *a. i.* [d] C *impigebat.* [e] C *quamplure.*

patris fratris sic a morbo praedicto puer exstitit liberatus, quod nunquam deinceps signa solita dictae senserit passionis. Addidit etiam mulier supradicta quod, cum mane quodam surgentem filium morbus subito invasisset, a solario, ubi iacuerat, in inferiorem domum praecipitavit eumdem. Cuius casu mater horrore percussa coepit illico morbo simili laborare, qui et ipsam per quinquennium miserabiliter continue fatigavit; sed cum circa corpus fratris, sicut dixi, cum filio permaneret, dictis die ac loco totaliter liberata recessit.

7. Item Solimbria quaedam, uxor Palmerii de Corneto, iurata dixit quod, cum per quinquennium passionem epilepticam tolerasset ita, quod
* *f. 45r* quandoque in ignem, saepe * vero in aquam, nonnunquam etiam in mensa vel ecclesia, lecto seu foro et in itinere constitutam horribiliter allidebat, intellecto transitu fratris Benevenuti cucurrit [a] ad locum, ubi iam celebratur missa pro anima iam defuncti. Et cum appropinquaret ad corpus in proximo tumulandum, audivit vocem in aëre sic dicentem: « Dic *Sanctus, Sanctus, Sanctus,* et cetera, quae sequuntur ». Quo

[a] C *cuncurrit.*

audito, flexis genibus apprehendit humiliter pedes eius attente supplicans et devote, ut pro se Deum efficaciter exoraret. Orante ipsa, coepit morbus gravius eam solito molestare allidens eam taliter et discerpens, quod propter horrorem nimium quidam adstantium ab ecclesia recesserunt. Cessante tamen postmodum passione, surrexit mulier ab infirmitate sua plenissime liberata. Quod cum habitatores Corneti cognovissent, ad locum fratrum processione [a] maxima concurrerunt et, sublato corpore dicti fratris reclamantibus fratribus [b], retulerunt [c] ad ecclesiam sancti Petri illud cum reverentia debita tumulandi.

8. Margarita de Dordona [d] iurata deposuit quod, cum morbo [e] caduco VI annis continue laborasset, * ad sepulcrum fratris Benevenuti devota * *f. 45v* veniens repromisit quod, si Deus eam precibus ipsius et meritis liberaret, depingere faceret imaginem dicti fratris faciem praesentantem et pro facti memoria coram tumulo collocaret. Quo voto emisso, morbus ille mulierem coepit infestare; sed antequam loco cederet, ita penitus exstitit liberata, quod nunquam postea dictam senserit passionem.

---

[a] C *prote*, L *parte*. [b] C om. [c] L *detulerunt*. [d] C *Cortora*, L *Ortona*. Cf. infra, n. 31 et 35. [e] C *morbor*.

9. Bella, mulier de Corneto, trium annorum spatio guttae caducae vitio fatigata, cum toto dicti temporis spatio nullum super hoc remedium invenisset, accessit ad corpus dicti fratris dum adhuc existeret insepultum, et oratione facta coram eo morbus eam graviter est aggressus ita [a], quod vigintiquatuor vicibus ipsam sterneret super terram; quod videntes, qui aderant, et compatientes dolori eius [b] a fratre Benevenuto instantissime postulabant auxilium [c]. Circa horam decimam adeo liberata recessit, quod similem postea non persenserit passionem.

10. Mulier [d] quaedam nobilis, Amillina nomine, * *f. 46r* relicta * Rogerii militis de Corneto, iurata deposuit quod, dum viduitatem suam viro mortuo deploraret [e], coeperunt signa leprae in ipsius corpore manifestius apparere. Nam a planta pedis usque ad verticem ulceribus occupata scamas densissimas cum sanie [f] vaporabat. Tanto insuper hieme media aestuata calore fervebat, quod vix solam interulam poterat sustinere. Supercilia vero eius pilis penitus denudata calvebant, et humore quodam ab oculis defluente lumine

---

[a] C om. [b] L *eiusdem*. [c] C om. [d] C praem. rubr. *De leprosis*. [e] C *deploret*. [f] CL *sapida*.

solito caligabant. Similiter autem ex naribus eius foetor nimius anhelabat, caput quoque ipsius impetigine occupatum capillos non poterat sustinere. Voce denique raucescente, ungues a digitis pariter ceciderunt; et ita horrori omnibus est effecta quod, abominantibus eam filiis et filiabus propriis, cum leprosis a coetu hominum separatis omnino disponeret habitare. Contigit autem fratrem Benevenutum, dum adhuc viveret, ad domum eius accedere pro petendo iumento, quo fratres ad portandas tegulas indigebant. Qua * se de- *f. 46v
vote ipsius precibus commendante, consolatus est dicens: « Patienter age, filia, et confide, quia cito tibi Dominus misericordiam providebit ». Modico igitur tempore decurrente, cum iam dictus frater obiisset, et ipsius corpore in ecclesia sancti Petri ubi sepeliri debuerat constituto, dicta matrona cum rubore [a] non modico et reverentia pariter ad funus venit, et ibidem in oratione pernoctans manus fratris per vultum suum t membra cetera fiducialiter deducebat. Quo facto, coepit impetigo capitis disparere, et a vultu membrisque ceteris ulcera desiccari ita, quod caro eius a leprae contagio penitus exstitit liberata.

[a] C *robure.*

11. Guilielmus quidam, Forcedis filius, cum XII esset annorum, per annum et dimidium ante obitum fratris Benevenuti per totum corpus generaliter ulceribus est respersus, et vox eius rauca facta cum superciliis ac palpebris depilatis leprae [a] contagium depromebant; praeter hoc autem habebat os foetidum et capillos capitis non poterat continere; oculi quoque rubefacti continuas lacrimas calidas emittebant; manus vero contractas ha-
* *f. 47r* bens, ungues pedum et digitorum amiserat * idem [b] puer: propter quod parentes eius ipsum a suo consortio penitus abdicarunt. Fratre igitur supradicto in beati Petri ecclesia consistente, mater eius et soror coram funere corporis insepulti leprosum suum humiliter statuerunt. Ubi cum tribus diebus ac noctibus in oratione persisterent, manum fratris ac pedem coepit leprosus ducere per os suum et membra cetera sic infecta. Quo peracto, vidente matre pariter et sorore, sanitati pristinae restituta est caro eius.

Auditor. Quid tam [c] dirae passionis in humano corpore causam putas existere, sicut in epilepticis ac leprosis commemoras, in illis maxime

---

[a] L om. [b] CL *ibidem*. [c] C add. interl.

quos nequaquam originali culpae ullam peccati actualis noxam manifestum est addidisse [a]?

Narrator. Iuxta diversitatem considerationis variae potest aeque multiplex quaestionis propositae causa vel ratio designari. Nam, si patrum orthodoxorum sententias opinione prosequimur, dicemus certe nonnunquam paterni criminis temporalem poenam in successione propaginis promulgari: qui * videlicet, ab amplexibus tempore * *f. 47v* menstruali lege damnatis temperare nolentes, posteritati suae leprae contagium, saepe vero epilepticam passionem aut aliarum pestium iusto Dei iudicio seminarium derelinquunt, ut nimirum viso pignorum cruciatu compassione ulcerum contabescant, quos contra ordinatissimam legis publicae [b] sanctionem non timuerant illicito tempore generare. Hinc est enim quod lunaticum, sicut in Marco legimus [1], ab infantia cuiusdam filium daemon torquendo possederat, quod nequaquam [c] recte permissum Scriptura depromeret, si ne originalis culpae piaculum aut paterni reatus criminis praecessisset. Nonnunquam vero existentibus meritis adultorum praedictarum pestium

[a] C *addisse.* [b] C *puplice.* [c] C *nequamquam.*

[1] Marc. IX, 16 sq.

incurritur cruciatus: cum videlicet miserante Deo ad correptionem vesaniae transgressorum animadversionis extremae severitas praevenitur ad veniam vel, si obdurato mentis arbitrio persistatur in malis, poenae interim aeternalis imago
* f. 48r similima districtione * iustitiae inchoatur [a]. Saepe, sicut in generali traditur [b] regula punitorum, ad probationem quorumdam, aliorum vero humiliationem, nonnunquam autem ad divinae virtutis ostensionem, haec et his similia benignissime ab Ipso proveniunt [c], qui [d] quibus qualiterve seu quantum expediat infuganter agnoscit.

Auditor. Placet valde quod dicis. Sed rogo, ne pigeat quod te narrantem verbis saepe detineo: nam et hoc ipsum ad profectum cedere manifeste cognosco.

Narrator. 12. Mulier [e] quaedam, vocabulo Munelis, iurata deposuit quod, cum nocte [f] quadam germanus eius verberasset eamdem, indignata foras exiit, et profunda nocte clamavit dicens: « Veni, diabole, veni [g] et intra corpus meum, ut liberari valeam de manibus fratris mei ». Cumque verbum istud multotiens [h] repli-

[a] C *iustite inchoetur*. [b] C *tratur*. [c] C om. [d] C *quem*. [e] C praem. rubr. *De demoniacis*. [f] C *note*. [g] C add. marg. [h] C *multiens*.

casset, adstare vidit de prope duo parva corpora Mauris similia iuxta eam; quibus visis, exanimata quodam modo prae timore quasi mortua cecidit super terram. Introducta vero a fratre suo, posita est super scamnum et ibidem per dies duos de vita iacuit desperata. Rediens tamen die tertio * ad seipsam, per dilucida intervalla * *f. 48v* visa est ratione potiri; toto tamen quinquennio pro maiori parte temporis ad [a] insaniam et inhonesta quaelibet tam verbis quam operibus recidebat [b]. Maritus autem eius et frater per diversas regionis ecclesias vinculis alligatam saepius portaverunt; nihil tamen efficientes eam ferre ulterius destiterunt. Auditis autem mirabilibus fratris Benevenuti, accurrentes cum lacrimis statuerunt eam ante sepulcrum eius vinculis more solito alligatam. Cumque diebus quinque in ecclesia perstitisset et gravius solito a daemonibus vexaretur, accurrebant multi de populo, ut cum daemoniaca loquerentur. Disputabat enim de omnibus daemon ille; cum clericis ac laicis nunc litteraliter, nunc vulgariter disceptabat. Praeter haec autem diversificabat voces suas, nunc cantando, nunc plorando, nunc sibilando, nunc la-

[a] C add. interl. [b] C *recibat*.

trando, et ad compassionem sui corda praesentium permovebat. Adstans vero cum aliis archipresbyter quidam, nomine Peregrinus, daemonium
* f. 49r fortiter adiuravit quod, si foret a muliere * recessurus, diceret sibi, qua die vel qua hora vel quo loco hoc fieri debebat, ac quibus signis praecedentibus responderet. Qui ait: « Die dominico proximo post horam nonam ante sepulcrum Benevenuti recedam a corpore mulieris; in hora quoque egressionis meae caelum turbabitur, et ex eo procedent fulgura [a] et pluviae ac tonitrua resonabunt ». Adveniente ergo tempore praefinito et signis omnibus evidenter apparentibus quae praedixit, accurrerunt multi utriusque sexus de Corneto et, facta per clericos processione solemni, tunicam fratris Benevenuti super daemoniacam locaverunt; ad cuius tactum daemon ipse mulierem tam crudeliter allidebat in terram, quod adstantes omnes ipsam mortuam putaverunt. Hora autem vespertina, multo foetore resperso et ciecto sanguine per os eius, meritis fratris sanctissimi liberatur [b], et ab eo tempore nunquam deinceps per eumdem exstitit fatigata.

---

[a] C *fulgora*. [b] C om.

13. Frater Robertus, conversus domus Sancti Spiritus de Salsola, iuratus dixit quod, cum peste [a] gravissima laboraret, coepit turgescere vultus eius ita, quod prae doloris [b] immensitate * auditum perdidit atque visum; somnus quoque * *f. 49v* sic aufugit ab eo, quod dies XII non dormivit; unde factus est furiosus omnino in tantum quod, si quis ad eum incautius accedebat, eum dentibus discerpebat; proiciebat insuper lapides super homines transeuntes, et servum quemdam domus suae baculo graviter percussit in fronte: propter quod prior eius, ut ipsius compesceret insaniam, ligari fecerat stricte funibus manus eius. Adveniente autem intervalli dilucidi die quodam, emisit votum, quod sepulcrum dicti fratris recuperandae salutis gratia visitaret; quo emisso, visum illico recuperavit pariter et auditum. Verumtamen dolorem quasi intolerabilem in uno brachiorum incurrit; sed accedens, ut voverat, ad sepulcrum meritis fratris sanctissimi recepit illico totaliter sanitatem.

Auditor. Cum me saepius audisse meminerim quod creatum nihil in animam rationalem substantialiter possit illabi, admiratione multa

---

[a] C om. [b] C *dolore*.

permoveor quonam modo diabolus mulierem lit-
* f. 50r teras nescientem * litteraliter disputare docuerit, qualiter etiam signa temporum sicut postea contigerunt futura potuit nuntiare.

Narrator. Vere quidem ac sine dubitatione doctrina catholica sicut asseris edocemur, quod praeter Spiritum increatum nulla substantia spiritualis aut etiam corporalis animam hominis possit substantialiter intrare. Suggestione tamen ipsius noxia caute minus admissa, malignitatis suae virus nostris iungit affectibus; quod nimirum, licet menti nostrae occasionaliter cogitationes noxias immittere nequeat, ab ipso tamen cordis fonte manantes studio inflammare non cessat. De quo recte per prophetam [1] dicitur: *Ecce ego creavi fabrum in igne sufflantem* [a] *prunas*. Faber quippe diabolus dicitur, quia *vasa misericordiae* [2] licet inscius divinis usibus tunsionibus multis praeparat et excoctione varia perpurgando transformat; qui etiam prunas in igne sufflare perhibetur [b], cum videlicet praeconceptas in animo voluntates suggestionis flamma [c] provocando succendit. Cui nimirum fabro

[a] C *facientem*. [b] C *prohibetur*. [c] C *flamme*.

[1] Isai. LIV, 16. [2] Rom. IX, 23.

nonnunquam permittente Deo non intrare * so- * *f. 50v*
lummodo, sed vexare etiam corpus humanum posse conceditur, sicut in Saule factum legimus [1] et de fornicatore corinthio [2] aliisque non paucis evangelica serie declaratur.

Cur ergo miraris, si pro meritis sibi traditae mulieris linguam proferendis sermonibus institutam diabolus ad loquendum quae voluit movere potuit, qui serpentis linguam velut organum ad promendos verborum sonos iuxta permissionem Dei aptare praevaluit [3]? Sicut enim serpens, licet verba pronuntians, intelligentiam tamen prolati sermonis minime capiebat [a], et sicut opere ac ministerio angeli certe boni asina Balaam loquebatur [4] ignorans quid divinae voluntatis inditium panderet per os suum; sic nimirum saepius per obsessi corporis instrumenta diabolus operatur et loquitur multa, de quibus ignari ac simplices admirantur, quae nequaquam [b] ipsi per quos fiunt energumeni dicta seu facta cognoscunt, sed nec per se memorantur effecta, cum per intervalla quandoque dilu-

[a] C *cupiebat.* [b] C *nequamquam.*

[1] I Reg. XIX, 9. [2] I Cor. V, 5. [3] Gen. III, 1 sq. [4] Num. XXII, 28 sq.

* *f. 51r* cida vel perfecta liber-*tate donati *ad cor suum* Dei miserentis gratia *convertuntur* [a] [1].

Neque autem multum affert [b] miraculi seu stuporis naturam daemonum subtiliter intuenti, quod signa temporum futurorum praescire valeant ac pariter nuntiare. Si enim ab hominibus [c] corruptibili corpore ac per hoc intellectu tardiore gravatis, acquisita scientia ex approximatione vel distantia siderum, usitato cursu temporum praecognosci potest futura temperies seu turbatio [d] aëris praedici, nil profecto mirandum si maligni spiritus, quorum sensus natura subtilior quique contemperantias elementorum et caelestium corporum actiones et qualitates aëris agnoscentes, de proximo vel longinquo futuras praevidere [e] possunt vicissitudines temporum et hominibus nuntiare vel ad fallendos fallaces vel fideles potius admonendos, iuxta quod permissione divina sinuntur vel vetantur efficere quod intendunt.

Auditor. Adhuc rogo, ut narrationi tuae, sicut coeperas, perseveranter insistas.

Narrator. 14. Torta filia de miraculorum * *f. 51v* fratris * Benevenuti veritate iurata deposuit

[a] C *pervertuntur.* [b] C *aufert.* [c] C *omnibus.* [d] C *turbatum.* [e] C *provideri.*

[1] Bar. II, 30.

quod, cum contractionem tibiarum per annum et amplius incurrisset, ex doloris angustia demens effecta est [a]. Quae, intervallo [b] dilucido [c] redeunte, persuadente sorore sua, Deo et fratri Benevenuto votum vovit quod, si ab infirmitate sua eam misericorditer liberaret, virginitatem illibatam Domino custodiret et omni anno, die depositionis eius, absque pane et vino humiliter ieiunaret. Emisso igitur voto, contractati nervi necnon et tibiae natibus adhaerentes coeperunt extendi cum strepitu et fragore [d] ita quod, intervallo modico temporis decurrente, a lecto descendens cum sorore sua perrexit ad tumulum dicti fratris, et ex toto rediit liberata.

15. Sacerdos quidam, Clusanus nomine, de Baudela, iuratus asseruit quod, dum nocte quadam in lecto suo decubans vigilaret, nulla persona visa, sensit sibi ictum fieri in maxilla ita, quod os eius factum est sic obliquum, quod horrorem videntibus ipsa torsitas inducebat. Oculus quoque sinister * eius taliter exstitit perturbatus, * *f. 52r* quod reversatis palpebris inundationem lacrimarum iugiter emittebat [e]. Consilio igitur matronae

---

[a] C om. [b] C *qua intervallum.* [c] C om. [d] C *stragore.* [e] C *amittebat.*

cuiusdam de Corneto, quae a fluxu sanguinis ad sepulcrum fratris Benevenuti fuerat liberata, dictus presbyter accessit ad tumulum, ac devote flexis genibus coram eo psalmos poenitentiales, sicut poterat, ruminabat. Cum autem ad versiculum quarti [1], ubi legitur: *Averte faciem tuam a peccatis meis*, presbyter pervenisset, visum est sibi [a] manum quamdam tangere in maxilla, quae ad statum pristinum revocavit os eius, et desiccatis lacrimis oculi perturbati plenam illico habere meruit sanitatem.

16. Bonusinfans [b] Corveseri de Corneto iuratus dixit quod, cum uxor eius, Normanda nomine, utroque pede contracta fere duobus annis iacuisset membrorum omnium viribus [c] destituta, suspenso ad trabem fune manibus propriis se movebat. Quae post obitum fratris Benevenuti ad sepulcrum eius tribus vicibus est perducta, * *f. 52v* sed vice tertia plenarie liberata * pedibus propriis remeavit in sua.

17. Matrona quaedam, Iusiana vocabulo, de Corneto, iurata deposuit quod, cum Gisus Buccerius maritus eius per annos IX infirmitate gra-

[a] C *ibi.* [b] L *Bonus, infans.* [c] C *virium.*

[1] Ps. L, 11.

vissima laboraret ita, quod manus et pedes habens aridos iaceret in lectulo quasi truncus, in principio anni quinti oculorum lumen prorsus amisit. In transitu vero sancti fratris, cum adhuc exsisteret insepultus, ad corpus eius portantium manibus est delatus. Quidam autem de adstantibus, Guilielmus nomine, pedem fratris accipiens per membra omnia dicti Gisi sanitatis gratia traducebat. Quo facto, videntibus omnibus qui adstabant, aeger illico est sanatus et, recepto lumine quod amisit, absque humano suffragio in instanti ad propria remeavit. Quia vero multi de restituto [a] sibi lumine dubitabant, per Corneti plateas hominem [b] deducebant, ut experimento cognoscerent si caveret a foveis platearum; Gisus autem non solum foveas praecavebat, verum etiam sequentes cavere docebat. * *f. 53r*

18. Adolescens quidam de Monte Mairani, Iannellus nomine, pedibus, tibiis cruribusque contractus [c], reptans ventre ac manibus super terram, ad sepulcrum fratris Benevenuti ductus est; ubi, cum vigilans pernoctasset, quodam mane diei dominicae restitutis sibi viribus totalem promeruit sanitatem.

[a] C *destituto* pro *d. r.* [b] CL *homines.* [c] C post corr., L *contractis.*

19. Chura Maria de Montana iurata deposuit quod, cum sexennium manibus ac pedibus exstitisset contracta ita, quod ad necessaria quaelibet ab aliis portaretur, die [a] obitus fratris Benevenuti baiulantium manibus ad eiusdem corpus perducta est. Cumque per membra mulieris quidam adstantium pedem fratris usquequaque traduceret, ipsius meritis, plantis [b] ac basibus solidatis necnon et manibus restitutis, remeavit ad propria laudans Deum.

20. Thasura de Fogia, uxor Matthaei Rubei de Corneto, iurata dixit quod, cum dextrum genu eius dolor validus occupasset, miraculorum licet incredula, ad locum, ubi corpus fratris Be-
* *f. 53v* nevenuti * requiescit, advenit; cumque mulieribus in ecclesia confabulantibus haberetur sermo de miraculis dicti fratris, illa respondit: « Quae sunt ista miracula sancti vestri? Etsi ipse miracula aliqua ostendisset, ego tamen nihil eorum crederem, quia vos ipsum magnificatis pro eo videlicet, quod in vestra parochia requiescit ». Quo dicto, statim praefato geniculo taliter est percussa, quod pes dexter a situ naturali cum tibia distortus est, et cadens [c] in terram cum

---

[a] C *dies.* [b] C *plactis.* [c] C *cades.*

poenitudine maxima proclamabat: « Sancte Benevenute, adiuva me apud Deum! quod si mei [a] misertus fueris in hac parte, omni sexta feria in pane et aqua, dum vixero, ieiunabo ». Facto igitur voto, pes distortus ad locum debitum est reversus et, recedente dolore geniculi, sanitati reddita Deum laudans abscessit.

Auditor. Magnae temeritatis grandisque periculi rem liquet [b] exsistere sanctos Dei blasphemare, quando quidem facta severitate iustitiae divini iudicii aequitas blasphematores ipsos assolet epunire. * * *f. 54r*

Narrator. Cum discipulis suis Salvator dicat [1]: *Qui vos recipit me recipit,* et: *Qui vos spernit me spernit,* constat certe quia delata ministris iniuria sive honor ministrorum ipsorum Domino potius irrogantur. Quis ergo recta ratione non videat sanctorum detractoribus saepe gravissimas ac condignum citra poenas infligi, qui, dum Dei servos imprudenter blasphemant, Dominatorem omnium contumeliis aggredi non formidant?

---

[a] L *mihi.* [b] C *reliquet* pro *r. l.*

[1] Matth. X, 40; Luc. X, 16.

Sed inter haec sciendum est quod non tantum verbo, sed facto etiam indisciplinato, crimen blasphemiae perpetratur. Verbo enim peccatorum [a] multipliciter blasphematur Deus, cum ipsius scilicet omnipotentia invidiae crimine maculatur, sicut nonnunquam ab haereticis et carnaliter sapientibus dici solet: Si talem potuit hominis condidisse naturam ut nequaquam malo consentire valeret, et non fecit Deus, ergo invidus merito est dicendus. Et in persona eorum per exprobrationem [b] dicit Apostolus [1]: *Cur me sic*
* f. 54v *fecisti?* Aliquando praesumptiva teme-*ritatis audacia Dei punientis iustitia inculpatur, sicut de quibusdam in Apocalypsi [2] dicitur: *Aestuaverunt homines aestu magno et blasphemaverunt nomen Dei habentis potestatem super has plagas.* Nonnunquam autem imperscrutabili sapientiae eius improvidentiae nota [c] impingitur; iuxta quod [d] psalmista de quibusdam per increpationem ait [3]: *Posuerunt in caelum os suum,* et quid dixerint subdens ostendit: *Quomodo scit*

[a] C *peccatrici.* [b] C *exprobationem.* [c] C *notam.* [d] C om.

[1] Rom. IX, 20. [2] Apoc. XVI, 9. [3] Ps. LXXII, 9, 11; XCIII, 7.

Deus, et si est scientia in excelso? et iterum: *Dixerunt: non videbit Dominus, nec intelliget Deus Iacob.* Saepe denique misericordiam Dei patientis impotentiae deputant, cum se malitiis perversorum exerceri sentiunt, nec petitam ab Ipso vindictam in persecutores suos continuo fulminari submurmurant. De quibus recte in Apocalypsi [1] scriptum legitur: *Commanducaverunt linguas suas prae dolore, et blasphemaverunt Deum caeli prae doloribus et vulneribus;* item in Canonica Iudae [2] de eiusmodi dicitur: *Hi autem quaecumque quidem ignorant blasphemant, murmuratores, * querulosi, secundum desideria * f. 55r sua ambulantes, et os illorum loquitur superbiam.*

Facto quoque nihilominus indisciplinato, sicut diximus, blasphematur nomen Domini, cum pastores aut reges seu domini [a] populi christiani transgressione publica honestatem [b] fidei decolorant et subditi praecedentium gressus insequi securitate perversa non formidant, sicut per prophetam conquerendo Dominus de quibusdam dicit [3]: *Ablatus est populus meus gratis, dominatores eius inique agunt, et nomen meum iu-*

[a] C *de nostri.* [b] C *honestate.*

[1] Apoc. XVI, 10sq. [2] Iud. 10, 16. [3] Isai. LII, 5.

giter tota die blasphematur. Item etiam a superbis quibusdam Dei sibi cultum usurpantibus blasphematur, sicut de Herode in Actibus Apostolorum [1] legimus perpetratum; qui, cum Tyriis et Sidoniis reconciliatus in veste regia concionatus ad populum laudes Deo debitas et non homini recepisset ab eis, confestim ab angelo Domini est percussus *et consumptus a vermibus expiravit.* Nam quia Dei gloriam ore populi blasphemantis [a] oblatam non despuit, recte, qui terra [b] mox futurus exstiterat, vermibus cor-
* *f. 55v* rodendus divino iudicio subiacebat. *

Auditor. Libet certe de poenis blasphemantium contulisse, eo quod rationabiliter et utiliter causam et modos reatus eiusmodi te video declarasse. At iam seriem inchoatae narrationis assume, ut ad alia quae suspiro sine morae dispendio valeas festinare.

Narrator. 21. Arsenda [c] de Lusiano, uxor Ressemandi, iurata deposuit quod, cum per triennium albugo densissima utrumque sibi oculum occupasset, in tantum caecitate percussa est,

---

[a] C *blasphematis.* [b] C *terram.* [c] C praem. rubr. *De cecis et surdis.*

[1] Act. XII, 21 sq.

quod non nisi ducta praeambulo ullatenus poterat se movere. Cum autem fratris Benevenuti corpus adhuc insepultum exsisteret, ducta est a consanguineis et amicis ad corpus, et ibidem in oratione pernoctans flevit largiter et orabat, ut eam dignaretur suis meritis liberare. Mane autem facto, experimento sensibili visum est omnibus albuginem [a] dictam ab oculis cum lacrimis emisisse; qua ab oculis discedente, statim illuminata surrexit et absque ducentis suffragio ad propria remeavit. * *f. 56r*

22. Dactus, miles [b], conestabilis Corneti, iuratus dixit quod, cum quidam filiolus eius, nomine Siginolfus, oculorum aegritudinem incurrisset, per sex menses lumine est privatus. Circa finem autem mensis sexti vovit pater ipsius quod, si Dominus dicti fratris meritis illuminaret eumdem, offerret ecclesiae Sancti Petri pro portandis [c] lapidibus boves duos. Facto igitur voto, fecit puerum super fratris tumulum collocari, ubi infra octo dierum spatium lumen perditum reaccepit.

23. Venerella, Rogerii Fornarii filia, oculum dextrum descendente rheumate taliter habuit

---

[a] C *albuminem.* [b] C *milex.* [c] C *pordis.*

occupatum, quod utramque palpebram carnis frustum [a] operuisse tôtaliter videretur. Quam cum [b] mater eius ad sepulcrum fratris Benevenuti sanitatis gratia deduxisset et eamdem per continuum triduum custodisset ibidem, confricato die tertio oculo supradicto, dixit matri suae: « Mater! ecce de oculo sum curata, quia carnis frustulum [c], quod portabam, cum albugine iam recessit ». Quod videntes plurimi de Corneto Deo
* *f. 56v* et fratri Benevenuto grates debitas persolverunt. *

24. Tematica Tansilgardi iurata dixit quod, cum die quadam incurrisset totalem aurium surditatem, trium annorum spatio sic permansit, quod nisi per nutus aut signa intelligere poterat colloquentes. Die vero proximo post decessum sancti fratris, cum accessisset ad corpus, fusis lacrimis misericordiam postulabat; cumque defuncti pedes super aures et faciem fiducialiter traduxisset, visum est sibi spiritum vehementem a suis auribus exsiliisse ac continuo diu perditum recuperavit auditum.

25. Matrona quaedam, Atra nomine, melfitana, iurata deposuit quod, cum per annum et tres menses incurrisset aurium surditatem, af-

---

[a] C *frustrum.* [b] C om. [c] C *frastulum.*

dicta nimis accessit ad tumulum sancti fratris misericordiam invocans humiliter ac devote; ubi cum modico tempore perstitisset, sicut melius habuerat, ipsius meritis auditum perditum reaccepit.

26. Domina Amfelisa iurata dixit quod, cum duobus filiis orbata fuisset ac prae dolore nimio pugnis ac palmis caput proprium percussisset, contigit, ut continuum dolorem capitis et * totalem per annos VI incurreret aurium surditatem. Quae cum deducentibus caris eius pervenisset ad corpus quod adhuc exstitit insepultum, oratione facta, per caput et aures suas manum fratris sanctissimi saepius deducebat; quo facto, mox a capite dolor omnis abscessit et, auditu [a] sibi plenarie restituto, Deo debitas gratiarum retulit actiones. * f. 57r

Auditor. Praeter generalia per adventum Christi beneficia humano generi contributa, videntur mihi magnae redhibitionis obnoxii apud Deum, cui sanctorum meritis haec quae asseris munera sanitatis [b] recepisse noscuntur.

Narrator. Saepe solet evenire quod dico, ut videlicet [c] aegrotantes seu defectu membrorum

---

[a] C post corr. [b] C *sanitatem.* [c] C *evidelicet.*

quorumlibet patientes, dum tormentis afflictionum aut defectibus naturae subiacent, boni proposito melioris inclinatis cervicibus se divinis obsequiis et operibus mancipant pietatis. Quorum speciem recte tenet Antiochus qui, sicut in Machabaeis legitur [1], *dolore diro viscerum* cruciatus *ita ut* [a] * *vermes e corpore impii scaturirent* [b]*: Iustum est,* inquit, *subditum esse Deo et mortalem Deo paria non sentire;* templum etiam donis optimis se ornaturum promisit et subtellectiles [c] ad sacrificia pertinentes de redditibus propriis porrecturum [d]; super haec autem omnia iudaeum se futurum esse spopondit et omnem locum terrae perambulaturum et praedicaturum Dei potestatem. Sed cum tales Dei misericordiam quam [e] exoptant nonnunquam fuerint assecuti, praeteritorum dolorum ac defectuum quos ferebant immemores, benefactoris [f] gratiam pariter oblivisciuntur ingrati. Quibus recte per Sapientem dicitur [2]: *Gratiam fidciussoris tui ne obliviscaris;* et post pauca subiungit: *Repromissorem* [g] *fugit peccator, et immundus et ingratus sensu derc-*

* *f. 57v*

[a] C om. *i. u.* [b] C *pariter scaturiret* pro *i. s.* [c] C *subtus.* [d] C *preraturum.* [e] C *cum.* [f] C *benefactoribus.* [g] C *repromissionem.*

[1] II Mac. IX, 5 sq. [2] Eccli., XXIX, 20 sq.

linquit liberantem se. Peccator nempe repromissionem fugit, cum, percepta sanitate quam petiit, votum minime peragit quod promisit; ingratus insuper se liberantem deserit, cum effectu pravi operis liberantis gratiae contradicit. Quocirca saepe iustus Arbiter, cum ingratitudinis tantae in quibusdam culpam conspicit, * eos iusto iu- * *f. 58r*
dicio ad similia de quibus evaserant vel graviora pericula recidivare permittit. Nam verbi causa unum referam.

27. Mulier quaedam de Gaudiano, Morena vocabulo, filia Constantini, cum esset nuptui tradita, passionis hydropicae a planta pedis usque ad verticem tumor eam horribilis possidebat; propter [a] quod a marito contempta, confusione plena nimis ad paterna limina convolavit. Tempore vero obitus fratris Benevenuti, dum ante corpus ipsius esset mulier constituta, coepit ex parte quadam corporis remedium persentire. Sequenti autem die iterum rediens ad sepulcrum, auctum sibi sanitatis auxilium sensit similiter indulgeri. Porro die tertia iterato regrediens ob [b] ipsum, desideratae penitus reddita est sanitati. Redeunti vero ad hospitium, dum de sospitate

[a] C *preter.* [b] L *ad.*

recepta congratulantes ei occurrerent convicinae, animi levitate permota dixit matri suae: « Mallem modo aegritudinem perditam more solito
* *f. 58v* * in meo corpore sustinere quam quod [a] ob istarum mulierum praesentiam tanta me verecundia perfudisset ». Quo dicto, cunctis cernentibus quae adstabant, facta est hydropica sicut prius. Mox igitur lacrimabiliter [b] ad sepulcrum sancti fratris, quia per se ire non poterat, est delata; ubi devotione nimia Domino supplicans hoc rogavit, ut verbi stulti, quod protulerat, non recordaretur ad poenam, sed ad gloriam sui nominis uberius declarandam reciperet misericorditer poenitentem. Oratione autem facta, mulier de recidivatione sanitatem plenariam meruit obtinere. Ceterum cum post dies aliquot, dicente sibi matre quod oporteret eam ad [c] examinatores miraculorum accedere pro testandis mirabilibus in se factis, ira succensa [d] proterviendo [e] respondit, se nullo modo ad eorum praesentiam accessuram. Nocte vero sequenti tanta corpus eius pervasit infirmitas atque dolor, quod propter vexationem nimiam crederet se defungi. Mane igitur

---

[a] C om. [b] C *alacrimabiliter*. [c] C *a*. [d] C om. [e] L om. *i. s. p.*

facto, cum de sua contumacia poeniteret, misericordiam petiit, quoadusque recederet infirmitas memorata, accedensque ad disquisitorum * praesentiam festinanter, quae superius sunt expressa, cuncta per ordinem enarravit. * f. 59r

28. Simile aliquid [a] contigit Roberto cuidam, cognomine de Armento, qui cum trium mensium spatio foret paralysi resolutus, os etiam haberet horribiliter obliquatum ac ex parte linguae officium perdidisset, non valebat manibus se cibare. Cum ergo se fratri Benevenuto devovisset, apparuit sibi quidam in fratris specie noctis tempore, dum dormiret. Quem cum paralyticus aspexisset et fratrem Lucam, lectorem fratrum in Apulia, crederet ipsum fore, ab eodem toto corde praesidium flagitabat. Cui frater ille, qui adstitit, sic respondit: « Non sum ego frater Lucas, sed habe fiduciam, quia de hac tua aegritudine convalesces ». Mane autem facto, dextram cuius usum amiserat paralyticus elevavit et, recedente sensim paralysi, membra cetera aliquantulum solidari cognovit. Superveniens autem anus quaedam, Maralla nomine, interrogabat eum, qualiter se haberet. Qui cum se melioratum fore respon-

[a] C post corr.

*f. 59v disset: « Vis, inquit mulier, * ut te meis incantationibus exorcizem »? Qui respondit: « Volo ». Cumque, sicut annuerat, percantasset eumdem, membrorum beneficia, quae receperat, penitus reamisit. Tandem autem sacerdote quodam inducente, fratri Benevenuto poenitentia ductus se iterato devovit promittens imaginem ceream ad ipsius tumulum se delaturum; quo facto, ipsius meritis universalem membrorum restitutionem obtinuit surgensque a stratu suo personaliter visitavit tumulum cum promisso.

29. Thomas Nicodemi habens filium, nomine Petrum, super eiusdem curatione iuratus dixit quod, cum idem Petrus per sex menses calorem febrium tolerasset, ex eo surdus, paralyticus et epilepticus est effectus. Vovente igitur matre pueri, ad sepulcrum fratris sanctissimi est portatus; ubi cum parvo tempore perstitisset, mox in tantum pristinae restitutus est sanitati, quod nulla in eo dictarum pestium vestigia remanserunt.

30. Palma Simonis de Corneto iurata depo-*f. 60r suit quod, cum annis XIIII fluxu sanguinis fa-*tigata nullo posset medicorum consilio liberari, migrante igitur fratre Benevenuto, cum quibusdam mulieribus aliis ad ecclesiam fratrum venit, et ad

corpus inhumatum appropians [a] brachium fratris accepit et duxit per corpus suum et membra omnia confidenter. Oratione denique facta, recessit mulier cum sociabus, nec deinceps fluxum sanguinis more solito est perpessa.

31. Magister Petracha de Minervino iuratus asseruit quod, cum esset in villa Dordonae servitiis imperialibus occupatus, invasit eum morbus quidam, qui a medicis dicitur squinantia, quae in tantum introitum [b] gutturis [c] interclusit, quod diebus quinque nequaquam [d] potuit comedere, bibere vel dormire; nam si liquor aliquis poneretur per violentiam in os eius, oesophago penitus obserato [e], per aures aut nares remittebat eumdem. Igitur voto facto quod, si eum Dominus fratris Benevenuti meritis abiecta aegritudine liberaret, sepulcrum eius cum muneribus visitaret, coepit illico apostema taliter mitigari, quod ex tunc cibum sump-*sit et die nono prorsus exstitit liberatus. *f. 60v

Auditor. Cum tantae, sicut asseris, sanctitatis exstiterit frater iste, miror, quare per ipsum Dominus, dum adhuc viveret, miracula nulla vel pauca fecisse dicatur.

---

[a] CL *approprians.* [b] CL om. [c] L *guttur eius.*
[d] C *nequamquam.* [e] C *obcecato.*

Narrator. Licet iuxta Sancti sententiam [1] responderi posset, causa duplici fore utilius magis hominum memoriae laudem dare quam vitae, quando videlicet nec laudantem adulatio moveat [a] nec laudatum tentet elatio, unam tamen inter ceteras fore arbitror specialem, quod plerumque frequentius post decessum sanctos efficit coruscare miraculis quam viventes: ut nimirum fidem resurrectionis et gloriam mentibus adstruat infirmorum, cum contactu sacratorum [b] cinerum, quos carnalis animus inutiles extimat et consumptos, sanitates varias, nonnunquam vero vitam etiam corporalem misericorditer ac potenter impertit. Sic nempe sanctis ad patriam post exsilium propinquantibus Scriptura promittit dicens [2]: *Quasi meridianus consurget fulgor tibi*
* f. 61r *ad vesperam; et cum te* * *consumptum putaveris, sicut lucifer orieris; et habebis fiduciam, proposita tibi spe, et defossus* [c] *securus dormies; requiesces, et non erit qui exterreat; et deprecabuntur faciem* [d] *tuam plurimi.* Quod nimirum quam aperte et absque aenigmate de sanctorum

[a] C *noceat.* [b] L *sanctorum.* [c] C *defossa.* [d] C om.

[1] S. Maximus Taurin., *Hom.* LXXVIII (Migne, PL 57, 419). [2] Iob XI, 17 sq.

pignoribus iuxta litteram impleatur, nemo qui catholice sentit ignorat; sed et ipsos inimicos fidei christianae lux effusa signorum nonnunquam dirigit ad viam [a] veritatis et vitae, impios autem et rebelles lumini iusto certe iudicio caecitatis obruit et confundit. Quamquam sane nonnulla a viventibus in carne sanctis mirabilia facta noscamus, quaedam autem *oculis* perspeximus *manibus* propriis *contrectantes* [b] [1]; de quorum numero unum ecce ad medium deduco, quod, vivente fratre Benevenuto, operante Domino legitur contigisse.

32. Matrona [c] quaedam, Catania nomine, de Pescopagano, iurata deposuit quod, cum Galterellum filium suum a tempore nativitatis usque ad septennium linguae prorsus officio desti-*tu- * *f. 61v*
tum misisset ad fratrem Benevenutum in lecto aegritudinis decubantem uvam passam [d], quam miserat, idem puer humiliter praesentavit. Ipso autem muto coram fratris lectulo consistente, frater Nicolaus guardianus loci fratri Benevenuto unctiavit dicens: « Puer mutus est, nec loquitur iam septennis; doce illum aliquid, ut loquatur ».

[a] C om. [b] C *contractes*. [c] C *Patrona*. [d] L *unam pastam*.

[1] I Ioan. I, 1.

Frater vero Benevenutus, assumpto pane, quaesivit a puero, quid hoc esset. Qui dum lingua conceptum mentis exprimere non valeret, dixit ei frater Benevenutus: « Dic *panem* »; statimque, soluto vinculo linguae eius, dixit: « Panis ». Iterum autem ostenso vino dixit ei: « Dic *vinum* »; qui respondit: « Vinum ». Rediens ergo dictus puer ad propria, coram parentibus et vicinis, qui mutus fuerat, est locutus; super quo valde nec immerito congaudentes, Deo et fratri Benevenuto laudes debitas persolverunt.

33. Item Claritia Iacobi de Guisileo [a] iurata dixit quod, cum [b] die quinto mensis martii peperisset, dextrum uber eius, quo lactabat prolem, *f. 62r* subito tumuit ita, quod ad instar langunculae turgidum praeferebat duritiem lapidis cum livore. Cumque desperata a medicis fecisset sibi minui in ubere supradicto, apparuerunt duo ulcera in mamilla, quae ipsam continue cruciabant. Circa obitum igitur sancti fratris accessit ad corpus et manum suam, qua ipsum tetigerat, posuit supra uber; ad tactum cuius coepit tumor minui cum fragore [c], ac si nervi uberis per violentiam tenderentur, et sic illico plenam adepta

[a] L *Gnisileo.* [b] C om. [c] C *flagore.*

est sanitatem, ut nullae remanerent cicatrices ulcerum in mamilla. Item addidit quod, cum lacte careret in ubere supradicto, octavo die postquam receperat sanitatem, sancto fratri humiliter supplicavit, ut in hoc etiam sibi misericorditer subveniret; voto itaque facto, confestim mulier, sicut asserit, lac habuit abundanter.

34. Bartholomaeus Gubianus iuratus asseruit quod, cum Palma filia ipsius per annos IIII^or^ in manibus et pedibus tolerasset guttae fistulae passionem, a medicis penitus desperata, circa transitum fratris * Benevenuti ad corpus ipsius * *f. 62v* baiulantium manibus est adducta. Quidam vero, Basilius nomine, qui adstabat, dextram [a] per membra laesa puellae ac demum pedes ipsius putrefactos ad horam posuit super fratrem; quo facto, dicta puellula cum mulieribus aliis pernoctavit ibidem et circa diei sequentis vesperam, humore fistulae desiccato, meritis dicti fratris integram illico consecuta est sanitatem.

35. Pasca mulier de Dordona iurata deposuit quod, cum os eius et nasum gutta fistula occupasset ita, quod per ulcera quaedam indesinenter emitteret saniem et foetorem, ab amicis et

[a] L *eam*.

parentibus fastidita mori potius quam vivere peroptabat [a]. Veniens igitur ad tumulum dicti fratris, cum orasset ibidem, coepit subito sternutare, et ex concussione ipsa foetentia ulcera dissoluta multitudinem ossium cum carne putrida per orificia emittebant; quibus emissis, coram cunctis qui aderant coeperunt ulcera solidari, et plenariam ipsius meritis recepit illico sani-
* *f. 63r* tatem. *

36. Ulixes Falconis iuratus asseruit quòd, cum filia eius, Caratenuta nomine, per annos IIII^or ex utraque parte gutturis scrufulis esset obsessa, sine incisione ferri nullatenus poterat liberari. Pater vero eius periculum metuens nequaquam hoc medicis dicentibus acquievit, sed facto voto Cornetum tendens ipsam humiliter ad sancti fratris tumulum deportavit; ubi cum in oratione, praesente avia sua, puella pernoctasset, facto mane dicti fratris meritis exstitit liberata.

37. Donna Maria, cognomento Cica, iurata deposuit quod, cum duas haberet filias, una quarum per annos quatuor in gutture fuerat scrufulosa, altera vero tam fortiter pateretur in ancha quod sex mensium spatio non se poterat

---

[a] C *peroctabat.*

rigere, sed nec ire, assumptis secum filiabus
d sepulcrum sancti fratris humiliter properavit.
no cum festina pro voto mulier pervenisset,
iliam suam quae scrufulosa fuerat super tumu-
um collocavit, alteram vero constituit ante il-
um. Orans igitur enixius pro sa-*lute filiarum * *f. 63v*
uarum, intercessione fratris sanctissimi utriusque
iliae mox promeruit sanitatem. Addidit etiam
nulier supradicta quod, cum mensibus quatuor
ollicem unum manus suae tanto dolore perfu-
um haberet quod cum manu nihil poterat omnino
perari, tetigit tumulum cum eadem et coepit
llico resudare, ac recedente sudore dolor omnis
ariter recedebat.

38. Galudibilia [a] Fortunati iurata deposuit
quod, cum annis III^or^ guttam arthriticam [b] in
manibus passa foret ita, quod nec eas ad os du-
ere nec aliquid operari valeret, accessit ad corpus
ratris Benevenuti, dum adhuc exsisteret insepul-
um, et oratione facta mox ipsius meritis plenae [c]
ecdita est sanitati.

Auditor. Cum exutas [d] a carnis sensibus ani-
as carere constet organis, quibus miserias ho-

---

[a] L *Gaudibilia.* [b] C *arcenticam.* [c] L *plene.*
C *exuta.*

minum corporales intueri valeant aut audire, qualiter preces orantium [a] vel etiam passiones possunt suscipere [b] Dei auribus offerendas?

*f. 64r **Narrator.** Difficilis admodum et meis di-*spar est viribus quaestio quam proponis. Iuxta tamen patrum orthodoxorum sententiam arbitror hoc tenendum, quod videlicet sanctorum animae *in abscondito* [c] *vultus Dei lumine* [1] veritatem eius intuitu limpido contuentes, in ipso aeternitatis speculo quantum datur intelligi recognoscunt, quidquid illis ad gaudium et nobis etiam pertinet ad iuvamen. At tunc quidem nec quasi Deo incognita offerunt quae rogamus; sed, cum [d] de votis nostris Dei iudicium faciendum sit, et ipsam eius consulunt veritatem, et quid Deo donante complendum fore cognoverint, evidenter saepe vel latenter saepius suggerunt [e] exequendum. Ita ergo sanctos arbitror necessitates et preces hominum divinis auribus praesentare, quia videlicet votis et meritis intercedunt pro nobis, quod nequaquam tamen facerent nisi per *speculum sine macula Dei maiestatis* [2] exaudiendos se pa-

[a] C *orationum.* [b] C om. [c] C *abscondita.* [d] C om. [e] C *fugerint.*

[1] Cf. Ps. XXX, 21, et LXXXVIII, 16. [2] Sap. VII, 26.

riter didicissent. Adeo enim veritati et iustitiae divinitatis addicti [a] sunt, quod nihil omnino, nisi quod ipsi complacere cognoverint, velle possint. Oramus igitur, ut eorum nobis merita suffragentur egenis * et ut ipsi velint bonum nostrum, * *f. 64v* quia volentes constat efficere posse quidquid intendunt. Unde etiam insinuatam sibi divinae dispensationis gratiam multis saepe praenuntiant apparentes, et aut orantes misericorditer dirigunt aut petita suffragia Deo dispensante concessa operis exhibitione confirmant. Quod ut manifestius clareat, exemplo duplici animadverte quae dixi.

39. Frater Ioannes de Altopassu iuratus asseruit quod, cum praedicando cum socio per provinciam Apuliae magnam pecuniae quantitatem collegisset, tandem applicuit ad Cornetum pro petenda a confratribus eleemosyna annuali. Discurrentibus autem ipsis pro praedicto negotio per Cornetum, accidit ut socius eius, qui pecuniam memoratam in marsupio deportabat, illam perderet ignoranter. Igitur mane facto dictum marsupium cum pecunia mutuo requirentes, non invento eo, coeperunt plurimum contristari. Cum-

[a] C *additi.*

que per triduum in hac moestitia permansissent nec hominibus suae causam moestitiae prae verecundia revelarent, accesserunt humiliter ad
* f. 65r sepulcrum fratris Benevenuti * devotissime deprecantes, ut ipsius meritis recuperare pecuniam possent sic amissam. Nocte [a] vero sequenti adstitit dicto fratri Ioanni quidam in habitu fratrum Minorum dicens illi: « Surge et vade ad porcarium abbatis venusini, Ioannem nomine, quem iuxta porcile reperies suo baculo innitentem, qui et dictam pecuniam reperiit tali loco et eamdem secus haram [b] porcorum abscondit. Quod [c] si inventam negaverit, dicas ei: Frater Benevenutus adstitit mihi nocte ista dicens, quod tu pecuniam hospitalis perditam invenisti et inventam iuxta porcile secretius abscondisti ». Mane autem facto, surrexit frater cum gaudio visionem hanc referens fratri suo; assumptoque secum hospite festinantes pro quaerendo porcario, iuxta quod monitus fuerat, perrexerunt. Invento ergo eo sicut revelatum fuerat super baculo incumbente, verbis blandis pecuniam perditam requirebant. Quo constanter negante, frater Ioannes ait illi: « Negare non poteris, miser,

[a] C *nŏcti*. [b] C *aram*, L *aream*. [c] L *qui*.

pecuniam, ut putasti, quia frater Benevenutus nocte ista mihi apparuit atque dixit, quod tu eam repereris et condideris iuxta haram [a] ». * Quo audito, stupefactus homo de revelatione mysterii confessus est illico veritatem; currensque ad locum ubi eam posuerat, fratribus supradictis in marsupio, sicut eam invenerat, sine diminutione aliqua resignavit effossam. * f. 65v

40. Item frater quidam, Aegidius nomine, de Ordine fratrum Minorum, iuratus dixit quod, cum esset [b] ferme per octennium cum fratre Benevenuto, cum adhuc viveret, conversatus, post decessum autem eius tentatione carnis acriter idem frater exsisteret [c] fatigatus, nec posset ab ea orationibus vel aliis exercitiis spiritualibus liberari, familiaritatis antiquae reminiscens dicto fratri Benevenuto se precibus humiliter commendavit. Quo facto, frater Benevenutus in somnis apparuit dormienti vultu hilari et iucundo dicens: « Frater Aegidi! da mihi cingulum tuum, et meum accipe, quod do tibi ». Quod cum factum fuisset, frater Benevenutus cinxit eum suo cingulo, quod portabat. Ex cuius tactu sic tentatio

[a] C *aram*, L *aream*. [b] CL om. [c] C add. *et*.

supradicta recessit a fratre, quod divina gratia
* *f. 66r* protegente nunquam postmodum sensit eam. *

41. Sabinus de Adimola iuratus dixit quod, cum campum unum haberet cymino refertum, tempore collectionis instante, a bruchis omnia corrodentibus est invasus; quod cum sibi nuntiatum foret, cucurrit ad agrum cum uxore. Videntes autem a bruchis universaliter occupatum, Deo et fratri Benevenuto ambo pariter devoverunt quod, si Deus ipsius meritis cyminum a peste bruchi misericorditer defensaret, mensuram unam de cymino ad ecclesiam, in [a] qua requiescit, afferrent. Emisso itaque voto, bruchi continuo recesserunt; ac sequenti die campum demetens [b] supradictum partem unam, quae viridis apparebat, fratri Benevenuto fiducialiter commendavit; ad quam cum die tertio accederet colligendam, intactam prorsus reperit et illaesam, licet virentia quaeque circumstantia corrosa fuerint penitus et consumpta.

42. Archipresbyter Peregrinus de Corneto manu sexta [c] sacerdotum comitante iuravit, quod per triduum, quo fratris Benevenuti corpus ob

---

[a] C om. [b] C *dementes*, L *demetentes*. [c] Sic C; cf. p. 154, n. *c*.

devotionem populi insepultum exstitit in ecclesia Sancti Petri, certis horis accedens, dum ipsius * membra tractaret, visa sunt ei omnia * non esse mortui sed viventis. Nam et venae manuum plenae sanguine videbantur et ungulae rubicundae; digiti quoque [a] tornatiles apparebant. Dixit etiam [b] membra omnia dicti fratris rigida, sed lenia exstitisse, sudorem pariter emittentia cum odore. * f. 66r

43. Frater Nicolaus de Traicto [c], guardianus fratrum in Corneto, iuratus asseruit quod, cum ipse ac fratres alii fratris Benevenuti corpus exanime cum aqua calida balnearent, membra eius tanquam mortui rigescebant ita, quod propter inflexibilitatem vix eum fratrum habitu induere potuerunt. Eodem tamen die vesperascente, cum iam esset ad Sancti Petri ecclesiam deportatus, dictus frater Nicolaus cum aliis fratribus honorem mortuis debitum fratri Benevenuto exhibiturus accedens, membra ipsius prius rigida manu contractans ductilia reperit, ac si essent membra iuvenis delicati. Caput vero anterius et retrorsum, dextera et laeva, duci poterat, quo volebat. Digiti quoque manuum ductiles existebant; cetera vero membra omnia plus vivi homi-

---

[a] L *digitique* pro *d. q.* [b] C *enim.* [c] L *Traiecto.*

nis quam mortui apparebant, totaque caro ipsius
* *f. 67r* * quasi sudans humida permanebat.

Supradicta igitur divinae opera maiestatis [a] ad ipsius gloriam ac fratris laudem sanctissimi veritate praevia iuxta tenuitatem ingenii hactenus prosecuti, brevitatis studio plura silentio pertransimus. Haec tamen [b] de pluribus et certioribus pauca [c] delegi, ut, relegato legendi fastidio, pia teneat [d] fratrum devotio quibus se laudibus occupet Conditoris, et qui [e] plus noverint ad aedificationem fidei de similibus enarrare, semper invenire valeant quod honori divinae maiestatis adiungant [f].

---

[a] C *testatis.* [b] CL add. *pauca.* [c] L om. [d] C om. [e] C om. [f] C add. *Explicit de miraculis fratris Beneventi. Incipit de miraculis fratris Ambrosii massanensis.*

III.

De fratre Ambrosio qui requiescit in Urbeveteri.

Auditor. Plura mihi, fateor, de duobus iam fratribus admiranda narrasti; nunc rogo de reliquis, quorum gesta retines, ut spoponderas, mihi aliquid adicere [a] digneris.

Narrator. Frater Ambrosius de massanae civitatis partibus ortum trahens, vita laudabili et actibus virtuosis insignis, antiquam Urbisveteris gloriam sacramentis caelestibus [1] innovavit. Ab * infantia quippe sua viam simplicitatis in- * *f. 67v*

[a] C *accipere.*

[1] Hanc prius adhibuerat formulam S. Cyprianus, *De unitate ecclesiae,* n. 6 (Migne, PL 4, 504): « Et quisquam credit hanc unitatem de divina firmitate venientem, *sacramentis caelestibus* cohaerentem... ». Illam forte mutuatus est auctor ex liturgia.

grediens, saecularibus licet actibus implicatus, ab his tamen vitiis, quibus generali corruptione propaginis scatet mundus, animum conservare satagebat immunem et aetate iuvencula venerandam morum canitiem piis actibus exhibebat. Revera enim cum in primo iuventutis flore litterarum studiis se puerulus mancipasset ac nonnullos collactaneorum suorum per abrupta vitiorum, ut assolet aetas illa, cerneret incedentes, dignum sibi iudicans [a] iam ex tunc Sancto Spiritui [b] domicilium praeparare, complexus est coelibatum et [c] pubescentis aetatis initia munditiae gloria condecorans [d] semetipsum Domino primitias consecravit.

Cum autem virilis aetatis portas Ambrosius introisset et arridentibus prosperis praeparatos sibi laqueos praesentiret, mundi florescentis amoena despexit et, evangelicae promissionis consecrator effectus, paupertatem pro divitiis [e] et aeterna pro tempore commutavit. In eadem namque civitate quam praediximus massana Minorum fratrum vi-
* *f. 68r* tam et habitum * humili devotione suscipiens, ut *margaritam pretiosam venditis omnibus* compa-

---

[a] CL om. [b] CL *Spiritu.* [c] C *de.* [d] C *condequorans.* [e] CL *paupertate divitias* pro *p. p. d.*

raret [1], cuncta quae habuit pauperibus eroganda distraxit et, discalciatis pedibus incedens, spreti mundi repudia operis attestatione conscripsit.

Conversionis igitur gratiam divina clementia consecutus et [a] virtutem obedientiae victimis anteponens [2], pro fratrum necessitatibus acquirendis *in fame et siti, in frigore et nuditate* [3] iuxta mandatum sanctae obedientiae discurrens, semetipsum obtulit Domino sacrificium *medullatum* [4]. *Orationi* quoque frequenter insistens, *stratum* conscientiae fusis *lacrimis* irrigabat [5]. Pane tantum et aqua saepe contentus, concupiscentiae carnalis incendia temperabat.

Compassionis insuper visceribus erga miseros affluens et infirmos, ministeria talibus necessaria devotus et alacer impendebat. Non solum autem fratribus, sed etiam saecularibus sibi cognitis et ignotis humanitatis obsequia studiosius ministrabat, in infirmitatis articulo misericorditer visitans * decubantes ac medicamina, quae vulneribus * *f. 68v*
aut infirmitatibus expedire cognovit, officiosa sedulitate procurans.

[a] C *cui*.

[1] Matth. XIII, 46. [2] Cf. I Reg. XV, 22. [3] II Cor. XI, 27. [4] Cf. Ps. LXV, 15. [5] Col. IV, 2 et Ps. VI, 7.

Humilitatis denique studio coquinam fratribus crebro parabat et ablutionem paropsidum ceteraque depressionis obsequia gaudenter explebat. Quod si quandoque vitio fragilitatis humanae cuiquam verbo vel facto offensionis aut irae occasionem, ut [a] assolet, irrogasset, mox appensa corda cervicibus devolutus [b] in terram a fratre veniam humiliter postulabat. In illatis quoque sibi molestiis patienter agens, satagebat parcere delinquenti et velocitate [c] dimittendi [d] penitus occurrendo caritatis affectum ex corde trahebat alieno.

Talibus igitur exercitiis servo Dei Ambrosio per annos ferme xv ab introitu Ordinis insistente, cum iam placuisset Domino labori eius finem dare, imminentem sibi transitum ab hoc mundo dignatus est angelo nuntiante monstrare. Circa ultimum namque vitae suae iter agens cum fratre quodam nostri Ordinis, Tobia nomine, versus
* *f. 69r* ecclesiam Sancti Petri de Mechera, sug-*gerente, disponebat eidem revelationis sibi factae mysterium aperire; sed labore pressus itineris vel fortasse rei exitum subsequentis effectus certitu-

---

[a] C *aut.* [b] C *devotus.* [c] CL *velocitati.* [d] C *dimittenti.*

dine praestolatus declarare tunc distulit. Quod tamen postea, priusquam debitum carnis exsolveret, enarravit.

Porro pridie quam pati coeperat a saeculo migraturus, assidenti sibi fratri memorato secretius ita dixit: « Annuntiavit mihi angelus, quod apud Sanctum Petrum in obedientia poni debeam, quodque me ibidem positum ista qua nunc premor [a] infirmitas occuparet. Ostendit insuper, quod ad locum Urbisveteris transferri debeam infirmatus, ubi disponunt fratres nostri ecclesiam fabricare. Poenas quoque purgatorii terribiles et horrendas idem mihi angelus demonstravit, affirmans quod de infirmitate quam patior sim a saeculo transiturus ad Christum ». Quae omnia, sicut a servo Dei ventura per ordinem sunt praedicta, sic nimirum operis attestatione sequentis oculata fide cognoscimus adimpleta [b].

Nec * puto silentio transeundum, quod die * *f. 69v*
ultimo, quo migravit, circa horam matutinalem cultu exhilaratus mirandum aliquid se vidisse signavit. Quem cum frater unus assistentium, si sanctum Franciscum viderat, requisisset, respondit: « Nequaquam ». Interrogatus autem, si sibi [c]

---

[a] C *precor.* [b] CL *adimplenda.* [c] L *S.*

angelus apparuisset, quaerenti ulterius non respondit [a]. Mortem tamen civis cuiusdam noti sui praenuntiavit ex nomine sibi divinitus revelatam, dicens quod Guillelmus obiisset, et quod ipse frater Ambrosius inter nonam et vesperum secuturus esset eumdem, assistentibus intimavit. Quod et factum est.

Unde liquet servum Dei magni locum meriti apud Altissimum tenuisse, quem non solum prophetiae spiritu, verum etiam virtutibus et prodigiis evidentibus dignatus est insignire. Quae nimirum divinae virtutis opera in partibus Urbisveteris potissime perpetrata, tametsi facti evidentia claritatis suae luce latere non patiatur e vicino positos, fama perferat ad remotos, propter tamen aemulos [b] fidei, qui perspecta luce cae-
* *f. 70r* cu-*tiunt, obruendos pauca quaedam de silva miraculorum eius excerpens duxi praesentibus adnotanda, delegatorum sedis apostolicae disquisitorum super his nomina simul et commissionis formam sibi traditae subiungendo; quae talis est: *Gregorius episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus N. urbevetano et N. suanen. episcopis et dilecto filio N. priori sancti*

---

[a] L *ulterius: « Non » respondit.* [b] C *enulos.*

Ioannis de Platea, Ordinis sancti Augustini urbevetani [1], *salutem et apostolicam benedictionem.*

*Dei sapientia Christus Iesus, qui Ecclesiam suam ineffabilibus semper renovat sacramentis, ut virtutis suae potentiam mirabiliter manifestet et salutis nostrae causam misericorditer operetur, fideles suos, quos coronat in caelis, frequenter etiam honorat in terris ad eorum memoriam signa faciens et prodigia, per quae pravitas confundatur haeretica et fides catholica confirmetur. Nos ergo quas possumus aeterni Patris Filio gratiarum referimus actiones, quod in diebus nostris, ad honorem et gloriam sui nominis et ut devotionis * affectum * f. 70v multiplicet* [a] *eius sanguine pretioso* [b] *redemptis,* innovat signa et mirabilia *potenter* immutat [2] *faciens illos coruscare miraculis, qui fidem catholicam corde, ore et opere tenuerunt. Sicut enim dilecti filii consilium et populus urbeve-*

[a] C *multiplici.* [b] C *specio.*

[1] Sunt episcopus Rainerius urbevetanus, Gulielminus suanensis (Soana) ac prior Cittadinus. Cf. Fumi, *Processo della canonizzazione del B. Ambrogio da Massa,* apud *Miscellanea francescana,* I, 77 [2] Eccli. XXXVI, 6.

tanus nobis suis litteris intimarunt, virtutum Dominus tantam piae memoriae fratri Ambrosio de Ordine Minorum fratrum contulit gloriam, quod tot et tantis coruscat miraculis, ut dignum sit inter [a] *sanctos alios eius suffragia* [b] *invocari. Quare suppliciter petierunt a nobis, ut super his, quae per ipsum divina pietas operatur, testimonia recipi faceremus. Verum quia in* [c] *tam sancto negotio non est nisi maturitate et* [d] *gravitate praevia procedendum, discretioni vestrae, de qua in Domino fiduciam gerimus pleniorem, per apostolica scripta mandamus, quatenus, accitis vobis religiosis et personis aliis fide dignis, de operibus et miraculis dicti fratris iuxta formam quam vobis sub bulla nostra transmisimus diligentius inquirentes, attestationes testium receptorum sub sigillis ve-*
* *f. 71r* *stris * servari faciatis inclusas usque ad nostrae beneplacitum voluntatis. Forma autem commissionis haec est: Testes legitimos, quos super vita et conversatione ac miraculis fratris Ambrosii debetis admittere, prius ab eis praestito iuramento, diligenter examinare curetis, et de omnibus quae deposuerint interrogetis eos-*

[a] C *in:* [b] C *suffugia.* [c] C om. [d] C om.

dem, quomodo sciunt, quo tempore vel quo die, quo loco, ad cuius invocationem et quibus verbis interpositis, et de nominibus illorum circa quos miracula facta dicuntur, et si eos antea cognoscebant, et quot diebus ante viderint infirmatos [a], *et quanto tempore infirmi fuerint vel quanto visi sani, simul autem* [b] *unde fuerint oriundi; et interrogentur de omnibus circumstantiis diligenter, et circa singula capitula fiant, ut expedit, memoratae quaestiones, et series testimonii ac verba testium fideliter redigantur in scriptis.*

Data [c] *Laterani, xi° kalendas iunii, pontificatus nostri anno xiiii°* [1].

Auditor. Cum, salva fidei honestate, iustum videatur et congruum sanctorum meritis caere-*mo- * f. 71v*
nias laudis impendere et ea omni favoris obsequio venerari, quid est quod tam subtili discussionis examine sancta mater Ecclesia quasi profectibus invida filiorum denuntiatorum sibi mirabilium investigare nititur veritatem?

---

[a] C *infirmitos.* [b] L *sani sint, et* pro *s. s. a.*
[c] L *datum.*

---

[1] Cf. Wadd. ad an. 1236, n. 7, et Sbaralea, *Bull. Francisc.* I, p. 280.

Narrator. Cunctata [a] quidem ac necessaria satis dispensatione hoc agitur, ut nequaquam *omni spiritui* ab Ecclesia fides detur [b], quin potius *si ex Deo sint spiritus* experientia comprobentur [1]. Si enim, iuxta quod scriptum est [2]: *Qui cito credit levis est corde,* et: Qui crediderit non festinet, nam *qui festinus est pedibus offendit;* cavendum plane summopere est, ne *munda lavacro* sponsa Christi [3] contributam sibi miraculorum *gloriam macula* levitatis inficiat aut certae *ruga* duplicitatis falsa pro veris approbans fidei puritatem scrupulosa ambiguitate commaculet [c]. Quod nimirum, etsi casu fortuito praeter intentionem christianae religionis accideret, inimicis
* *f. 72r* crucis Christi detrahendi materiam necnon et * infirmorum *offensionis lapidem* ac *petram scandali* [4] de facili suscitare valeret. Ita ergo salubriter ac prudenter sancta mater Ecclesia, dum propter [d] difficultatem credendi quasi ad alienos uteri sui filios induratur, catholicae fidei consulit pietati, ut videlicet dilatione consensus fidei

---

[a] C *cuncta.* [b] C *datur.* [c] C *convolat.* [d] C om.

---

[1] I Ioan. IV, 1. [2] Eccli. XIX, 4; Prov. XIX, 2.
[3] Cf. Ephes. V, 26 sq. [4] I Petr. II, 8.

veritas attestatione publica clarius elucescat et nequaquam suspicioni perfidae occasio relinquatur.

Auditor. Quia dubitationi meae aperta video ratione responsum, ad narrationis ordinem iam, precor, accedamus.

Narrator. 1. Christoforus, de hospitali Sancti Angeli de Posterula Urbisveteris, super fide miraculorum fratris Ambrosii iuratus asseruit quod, cum decem annorum spatio manum dexteram haberet contractam et brachium desiccatum, ad sepulcrum dicti fratris recuperandae salutis gratia supplex venit; ubi cum subsidium flagitans [a] in oratione persisteret, per ipsius merita sanitati redditus ad propria remeavit *. * f. 72v

2. Matrona quaedam, Avenante vocabulo, uxor Ugolini Melechini de vico Sancti Andreae, iurata deposuit quod, cum peperisset filium manu dextra contractum ita quod nullo modo extendi poterat vel curvari, Deo et fratri Ambrosio votum vovit quod, si filium suum Dominus ipsius meritis misericorditer liberaret, iconiam ceream ad eius tumulum deportaret et quolibet anno die depositionis ipsius alimenta necessaria duobus

[a] C *fatigans.*

egenis ministraret. Voto igitur facto, desideratam illico recepit parvulus sanitatem.

3. Ryldebraldinus Ranutii de Corneto iuratus asseruit quod, cum occasione cuiusdam maleficii per manum dextram levaretur in altum, os brachii deinceps ita perstitit elocatum, quod nihil omnino operari poterat [a] cum eadem, maxime quia iam coeperat totaliter desiccari; cumque taliter cruciatus fratris Ambrosii suppliciter auxilium invocasset, dictus frater in somnis apparuit noctis tempore quiescenti dixitque illi: « Noli timere, quia ex hoc sanus eris »; accipiensque ma-*num eius extensam protinus pristinae reddidit sanitati.

* *f. 73r*

4. Domina Aldbrandina, uxor quondam Odonis Napollei iurata deposuit quod, cum filiam quamdam haberet duorum annorum spatio taliter desiccatam quod nihil carnium remanserat in eadem, quidquid etiam comedebat aut bibebat, reiciebat protinus indigestum; facto voto supplici, per sororem suam ad sepulcrum fratris Ambrosii puellulam destinavit. Ubi cum recuperandae salutis gratia collocata fuisset, mox cunctis videntibus qui adstabant, puella surrexit, et cum rediisset ad propria, sumpto cibo ac potu

[a] C *potera*.

pariter et retento, coeperunt exinde crescere carnes eius.

5. Gregorius Peneriae [a] de Civitella iuratus dixit quod, cum duorum annorum spatio crure contracto, apostemate insuper laboraret in tantum quod nequaquam de lecto surgere poterat vel moveri, Deo et beato Ambrosio repromisit quod, si gloriosis ipsius meritis auxilium consequi praevaleret, iconiam ceream ad ipsius tumulum personaliter deportaret. * Quo facto, con- * *f. 73v*
tractione cruris et apostematis pariter passione curatus, pedibus propriis viri sancti limina comitantibus eum plurimis visitavit.

6. Domina Amata, uxor Andreae de Paterno, iureiurando firmavit quod, cum Ioannes, filius ipsius, per annum et [b] amplius usu [c] membrorum sinistri lateris foret totatiter destitutus, facto voto fratri Ambrosio, ad sepulcrum eius dictum puerum cum vicinis pluribus deportavit. Ubi cum nocte tota pervigil excubasset, mane sequenti puer ipse, suffragio fratris sanctissimi plenissime liberatus, cum matre sua remeavit ad propria laudans Deum.

---

[a] L *Penerie.* [b] C om. [c] C *usio.*

7. Benincasa de vico Sancti Stephani iuratus [a] deposuit quod, cum die quadam Adglianum [b] tendens calcios suos a quodam repetisset instanter, et ipse pro festinatione itineris pariter festinaret, ita cecidit, quod pes eius sinister taliter confractus est, ut ex retractione nervorum planta pedis dicti superius verteretur. Vovens igitur fratri Ambrosio vir praedictus quod, si dignaretur Altissimus per ipsius merita * eum misericorditer liberare, in eius semper servitio permaneret, confestim ossa pedis aliquantulum crepitare coeperunt, et planta deorsum versa restitutus est illico sanitati, et [c] pedibus propriis die altera sancti viri limina visitavit.

* *f. 74r*

8. Mulier quaedam, Pax nomine, iuramento constricta respondit quod, cum annis x toto corpore cruciata cruribusque contracta nequaquam surgere poterat per se ipsam, vir quidam misericordia motus super eam ad fratris Ambrosii tumulum ipsam humeris deportavit. Constituta igitur [d] mulier coram eo votum vovit et dixit: « Beate Ambrosi! misericordiam tuam invoco vovens tibi quod, si tuis meritis consequi potero sanitatem, devota tibi serviam omni tem-

[a] Cl. *iurata*. [b] L *ad granum*; Fumi, l. c. p. 136, « Agliano ». [c] C om. [d] L *ergo*.

pore vitae meae ». Ad cuius invocationem ita plene convaluit mulier coram omnibus qui adstabant, quod per se sana et incolumis ad propria remeavit.

9. Bonagura perusinus iuratus asseruit quod, cum tinam quamdam cum sociis deportaret ac ceteri pressi pondere fugientes onus totum in [a] ipsum incautius dimisissent, pedem eius tam graviter * confregerunt, quod decem mensium * *f. 74v* tempore inutilis est effectus ac postmodum paupertate coactus reptans [b] manibus coepit publice mendicare. Deo igitur et fratri Ambrosio votum [c] vovit quod, si suis eum meritis misericorditer redderet sanitati, anno quolibet obitus sui die duobus pauperibus necessaria ministraret; et [d] coram multis adstantibus plenam promeruit sanitatem.

10. Domina Balseverina de vico Sancti Dominici iurata dixit quod, cum filius eius, Nicoletus nomine, sinistrum brachium cum collo pariter et gula tumore quodam haberet ac rubore perfusa ita quod omnes de sanitate pueri desperarent, assumpto filio properavit ad tumulum dicti fratris, ut eumdem ipsi sanitatis gra-

---

[a] C om. [b] C *rectans*. [c] C bis *votum*. [d] C om.

tia praesentaret. Cumque prae multitudine hominum circumstante sepulcrum tangere non valeret, de terra, ubi corpus eius lotum fuerat, sibi dari humiliter postulavit. Quam cum, porrigente fratre quodam mulier suscepisset et infirmantis pueri suspendisset ad collum, meritis fratris sanctissimi desideratam parvulus habere
* *f. 75r* promeruit sanitatem. *

11. Matrona quaedam, vocabulo Urbevetana, iurata deposuit quod, cum filius eius, Belbrunus nomine, duorum annorum spatio et dimidii contractus exsisteret ita quod genua pectori inseparabiliter cohaererent, essetque taliter desiccatus quod nonnisi pellis et ossa in corpore permansissent, sollicita mater pro sanitate filii ipsum ad fratris Ambrosii tumulum deportavit; super quo cum puerum misericordiam postulans collocasset, coeperunt ossa pueri paululum crepitare ita quod sonitus ab adstantibus est auditus, moxque depositus de sepulcro remeavit ad propria pristinae redditus sanitati.

12. Domina Richa, de vico Sancti Iuvenalis, iurata deposuit quod, cum quamdam haberet filiam duorum mensium spatio claudicantem ac dextro latere continuo occasione cuiusdam guttae pariter inclinatam, haberet insuper oculum dex-

trum albugine sic obsessum quod de ipso penitus nihil videbat, tempore obitus fratris Ambrosii ad sepulcrum eius accedens misericordiam super filia suppliciter postulabat; ad cuius invocationem dicta puella a tantarum passione cladium [a] plenissime exstitit liberata. * *f. 75v*

13. Domina Tramandata, uxor Benevenuti Montanarii de vico Sancti Constantii, iuramento firmavit quod, cum vir eius fratris Ambrosii miracula derideret eum ironice vocans sanctum, manum eius dextram dolor nimius occupavit ita, quod nihil omnino cum ea poterat operari, nec cibum etiam porrigere ori suo. Inductus autem ab uxore sua, Deo et fratri Ambrosio se devovit et optatam illico ipsius meritis adeptus est sanitatem.

14. Beatrix, uxor Simonis de vico Sancti Salvatoris, iurata deposuit quod, cum sex annorum spatio dextrum latus ipsius paralysis occupasset in tantum quod nequaquam de lectulo surgere poterat aut aliquid operari, cognata eius, Clara nomine, particulam quamdam tunicae fratris Ambrosii die quadam deportavit eidem. Quam cum ipsa suscipiens devote et humiliter membris

[a] C *claudium*.

paralyticis applicasset, fratri praedicto votum vovit quod, si misericorditer eam Dominus ipsius meritis respicere dignaretur, sepulcrum eius cum
*f. 76r imagine cerea visitaret; quo emisso, * coram multis adstantibus plenam mulier consecuta est sanitatem. Mane diei sequentis ad sepulcrum fratris Ambrosii completura promissum pedibus propriis ambulavit.

Auditor. Cum, Sapientia teste [1], noverimus quod *pusillum et magnum fecerit* Dominus *et aequaliter illi de omnibus cura sit*, quid causae putamus exsistere quod quibusdam tam festinam sanitatis gratiam tribuit, aliis vero nec precibus propriis aut suffragiis alienis sive etiam [a] operibus pietatis concedit?

Narrator. Si divinae voluntatis in eiusmodi a me postulas rationem, ex eadem tibi quam conducis auctoritate Scripturae [2] convenienter valeo respondere. *Cum sit* enim *iustus, iuste omnia disponit et eum qui* [b] *non debet puniri non* [c] *condemnat*, nec *potest ei quisquam dicere: Cur*

[a] C *operibus pietatis concedit etiam* pro *e. o. p. c.* [b] C *quem.* [c] C om.

[1] Sap. VI, 8. [2] Sap. XII, 15, 12, et Iob IX, 12.

ita facis? et Apostolus [1]: *Annon* licet figulo *ex eadem massa facere* unum *vas in honorem* [a], *aliud in contumeliam?* Hoc enim sufficienter christianae responderim pietati consonum, quia si Deus isti hoc tribuit et id idem [b] alteri denegaverit, iustum utique usquequaque foret quod fecit, quia quidquid * meriti in nobis esse conspicitur totum * *f. 76v* gratia praeeunte formatur, nec quidquam [c] nostrum praeter largitatis suae munera dono gratiae cooperantis acceptat in via aut in gloria perficiendo consummat. Sive [d] ergo contulerit gratiam, largitatis insigne est, sive manus a benedictione concluserit, iustitiae licet abditae ostensivum. Iam vero si causas recipientium beneficia percunctaris, in hoc etiam quaestioni tuae meminerim pro parte superius [2] respondisse, cum videlicet de modicitate fidei et purgandi culpa peccati quasi de [e] duplici inhabilitate gratiae tractaretur. Nunc autem quia de inefficacia precum et operum pietatis exaggeras quaestionem, verbis mihi sanctorum et rationibus pariter video respondendum. Nam si quem ta-

---

[a] C *honore.* [b] C *itidem* pro *i. i.* [c] C *nequicquam* pro *n. q.* [d] C *si.* [e] C om.

---

[1] Rom. IX, 21. [2] Pag. 38 sq.

lium non exaudiri contigerit postulantem [a], sicut in quaestione proponis, id causae noveris exstitisse, quod videlicet non sic pie, idest fideliter sicut expedit [b] et devote, nec perseveranter actu vel habitu petiit, aut contrario aliquo perseverantiam interrupit, sive pro adipiscenda alteri gratia ipsi gratiae reluctanti preces fudit, postremo vero quod scienter sive etiam ignoranter
* f. 77r aliquid petiit quod nequaquam sibi * contulit ad salutem. His enim conditionibus exsistentibus in eodem: pie videlicet, perseveranter, prò se et ad salutem, definiunt hoc tenendum quod, iuxta cautionem promissae liberalitatis [c] Dei et congruitatem petentium, obtinetur quod petitur a devotis, vel, si forsitan et causa non expedit, postulatum in aequipollenti semper vel maiori etiam benedictione compensatur.

Auditor. Ex ratione proposita satis claret ex culpa saepe petentium provenire quod nequaquam exaudiuntur ad votum, cum semper ad beneficia praestanda paratus sit, qui nos in [d] Evangelio pigros excitat ad petendum. At nunc rogo ad gestorum seriem solito recurramus, ut magnalia viri Dei coepto ordine prosequaris.

[a] C *pustulantem*. [b] C *expendit*. [c] C post corr. [d] C om.

Narrator. 15. Domina [a] Gratia, Damiani filia, de vico Sanctorum Apostolorum, iurata deposuit quod, cum v annorum spatio morbus eam epilepticus occupasset, accessionis tempore convicinis omnibus horror fiebat, eo quod linguam eius incenderet [b] velut ignis. Cum igitur [c] se Deo et fratri Ambrosio devovisset, ad invocationem * ipsius continuo exstitit liberata ita, quod ab [d] * *f. 77v* eo tempore nequaquam ultra dictam senserit passionem.

16. Marcus Abbasarius, de vico Sancti Iuvenalis, iuramento firmavit quod, cum filius eius Mercuinus peste epileptica laboraret, fratri Ambrosio votum vovit quod, si Dominus ab infirmitate praedicta misericorditer liberaret eumdem, omni tempore vitae suae indigentibus IIII^or^ die sui obitus necessaria ministraret. Facto igitur voto, confestim puer ita plene convaluit, quod nec signa dictae pertulit passionis.

17. Domina Diamante, uxor Clusii de vico Sancti Faustini, iurata deposuit quod, cum annis undecim iam elapsis morbus eam caducus taliter infestasset, ut quandoque [e] diei unius

---

[a] C praem. rubr. *De morbo caduco.* [b] C *invederet.*
[c] L *ergo.* [d] C om. [e] C *quinque.*

spatio novem vicibus horribiliter vexaretur [a], facto voto fratri Ambrosio, ad sepulcrum eius accessit misericordiam invocans humiliter ac devote. Rediens autem mulier in domum suam, meritis fratris sanctissimi ex illo tempore totaliter
* *f. 78r* exstitit liberata. *

18. Pellis, de vico Sanctae [b] Mustiolae, iuratus asseruit quod, cum frater eius, Leonardus nomine, duobus mensibus epileptica peste laborans inter diem et noctem quadraginta vicibus vexaretur os suum quasi daemoniacus distorquendo et clamoribus maximis inquietans audientes, inter cetera semel dixit: « Porta me ad tumulum fratris Ambrosii ». Quem cum cultra impositum sexta manu hominum comitatum [c] ad tumulum dicti fratris Pellis ipse portasset, votum [d] vovit et dixit: « Promitto tibi, sancte Ambrosi, quod, si fratrem meum tuis meritis liberaveris ab infirmitate pessima qua vexatur, sepulcrum tuum cum imagine cerea visitabo et devote tibi serviam toto tempore vitae meae ». Facto autem voto, coram tumulo in oratione pernoctans, mane sequenti per eiusdem merita totaliter liberatus pedibus propriis remeavit ad sua.

[a] C post corr. [b] C *sancto*. [c] C *comitatus;* cf. p. 130, n. *c*. [d] C bis *votum*.

19. Sibilia, uxor Odonis, iuramento firmavit quod, cum filius eius, Guido [a] nomine, infirmitate * quam maniam nominant laboraret ita, quod vexationis tempore vere daemoniacus videretur, suadente milite quodam, Tinatio nomine, Deo et fratri Ambrosio votum vovit dicens: « Sancte Ambrosi, adiuva me pro salute filii te precantem! quod si feceris, sepulcrum tuum cum imagine cerea visitabo ». Voto itaque sic emisso, meritis fratris sanctissimi memoratus puer nequaquam ultra dictam pertulit passionem. *f. 78v

20. Ventura, filius Yldeprandi [b] Crassi de Montorio, iuramento firmavit quod, cum mulier quaedam, Gratia nomine, ab annis IIII^or^ a daemonibus vexaretur adeo quod vix poterat ab hominibus quatuor detineri, loca sancta multotiens caris eam deducentibus visitavit, nec ab ea daemones ullatenus exierunt; tandem autem, adhuc superstite fratre Ambrosio, cum ad quamdam ecclesiam dicti castri, Sanctam Victoriam nomine, pervenisset, memorata mulier ad eumdem locum ab aliis est perducta. Cumque ad preces adstantium praecepisset frater Ambrosius daemonibus ut exirent, iussioni eius continuo

[a] C post corr. [b] L *Yldiprandi*.

* *f. 79r* obsequentes sine * laesione aliqua exierunt ab ea.

21. Palmeria [a], filia Albasiae de Viterbio, iurata deposuit quod, cum die quadam iter faciens ac sitiens ad puteum pervenisset, a iuvene quodam, qui aquam pro transeuntibus hauriebat, potum petiit sibi dari. Quem cum sitienti iuvenis porrexisset, accurrit mulier altera praeripere cupiens aquam sibi. Quod cum mulier supradicta negasset, tumens altera cum iurgio imprecata est ei dicens: « Bibe aquam, et intrent mille daemones corpus tuum ». Bibit ergo mulier aquam putei ac recessit. Cumque post [b] dies octo filium masculum peperisset et eodem mortuo supra modum et mensuram doluisset, coepit mulier seipsam lacessere manibus fortiter et clamare. Accedentes autem saepius sacerdotes exorcizabant daemones, qui infestabant eam taliter, ut exirent; cumque super eam evangelium aut orationes alias more solito perlegissent, coepit acrius a daemonibus infestari. Quidam autem ex daemonibus se iudicem nominabat, nec erat qui
* *f. 79v* resistere sibi potuisset disputando. * Addidit etiam mulier supradicta quod, antequam frater

---

[a] C praem. rubr. *Aliud miraculum.* [b] C om.

Ambrosius e saeculo transmigrasset, ipsi daemones proclamabant: « Natus est et vivit, qui nos fugare debebit ». Post decessum vero eius clamabant dicentes: « Eamus ad Ambrosium, qui nos extrahet a domo nostra ». Porro vir eius, Blasius nomine, assumptam coniugem ad civitatem Urbisveteris secum tulit et eamdem sancti patris constituit ad sepulcrum. Ubi cum devotionis instantia pro uxore sollicitus misericordiam imploraret, meritis fratris sanctissimi plenam mulier habere promeruit sanitatem.

Auditor. Puniendae temeritatis, ut audio, culpa est os suum cuiquam maledictionibus assuescere, cum praesertim tantam, sicut asseris, in mulieris corpore potestatem ex imprecatione alterius daemones acceperunt.

Narrator. Cavenda profecto est viris iustis assuetudo [a] maledictionis [b], ne, si forte verbum maledictionis in quemquam sine causa iusta protulerint, ante Dei vultum semetipsos poena talionis ob-*stringant. Unde Isaac patriarcha Iacob *f. 80r* ilium suum in persona iustorum benedicens ait [1]:

[a] C *assue* cum spatio vacuo. [b] C *devotionis.*

[1] Gen. XXVII, 29.

Qui maledixerit tibi, sit ille maledictus; ac si aperte dicat: Qui nocendi voto nec ex causa rationabili maledictionis iaculo impetit innocentem, ipse sibi reatum poenae consimilis in praesenti etiam, nonnunquam vero maledicorum, quam cavendam [a] monet Apostolus [1], culpam conquirit: *Neque* enim *maledici regnum Dei possidebunt.* In quo nimirum verbo praedicator egregius consuetudinem maledictionis interminat et quae vitio tali deditos poena commaneat exterrendo praedicit. Hinc etiam de huiusmodi per increpationem psalmista dicit [2]: *Quorum os maledictione et amaritudine plenum est;* qui videlicet, dum usu pravae consuetudinis in verba increpationis pereffluunt, quanta intus fellis amaritudine ferveant evomentes ostendunt. Sed revera hi tales non impune pertranseunt, quia saepe licet illorum meritis in quos verbum maledictionis effertur optatae poenalitatis effectum, sicut in exemplo
* *f. 80v* forte proposito contingit, * imprecatio sortiatur, nonnunquam tamen in eosdem etiam, qui non zelo iustitiae maledicta fulminant, iusto Dei iudicio retorquentur. Unde recte per Salomonem

[a] C *cavenda.*

[1] 1 Cor. VI, 10. [2] Ps. XIII, 3.

dicitur [1]: *Sicut avis ad alta* [a] *transvolans et passer quolibet vadens, sic maledictum frustra prolatum in quempiam superveniet.* Avis namque ad alta transvolans et passer vagis motibus inquiete discurrens ad nidum suum unde exiit revertitur ad pausandum; et maledictum super innocentem prolatum, cum in ipso locum non accipit, ad eumdem ipsum a quo prodiit quasi ad nidum in quo maneat retrocedit [b]. Unde scriptum est [2]: *Qui fecit* [c] *foveam incidet in eam, et qui volvit lapidem revertetur ad eum.* — Quam [3] iusti etiam zelo rectitudinis peccatoribus soleant maledictionis iaculum pro meritis intorquere, dum quibusdam afflictionem poenae temporalis ad poenitentiam salubriter infligi desiderant, aut districtione censurae divinae iustitiae conformati, prophetali ut sic dixerim certitudine poenam illam quae nunquam oblivione delebitur cum detractoribus imprecantur [d]: hinc est * enim quod * *f. 81r*
Paulus fornicatorem corinthium *ut spiritus eius salvus* fieret *in interitum carnis* anathematizando *satanae tradidit* flagellandum [4], et ascen-

[a] Vulgata *alia.* [b] C add. *quam iusti etiam zelo,* quod inferius redit. [c] Vulgata *fodit.* [d] C *imprecatur.*

[1] Prov. XXVI, 2. [2] Prov. XXVI, 27. [3] I. e. quantum. [4] I Cor. V, 5.

dens Bethel irrisores suos Eliseus propheta maledicens ursis exposuit [a] corporali morte plectendos [1], ut nimirum ille daemoniaca vexatione confusus per poenitentiam pariter resipisceret in salutem, isti vero derisionis iudaicae typum figuraliter exprimentes, qua Christo Domino crucis patibulum conscendenti perfide [b] insultabant [2], temporali nece praedicerent quae perfidiae illorum complices poena perpetua commaneret.

Auditor. Placet valde quod dicis, sed esurienti in anteriora mentis stomachum narrationis solitae ferculis, deprecor, placeat iam cibare.

Narrator. 22. Domina Margarita, uxor Alboneti, iurata deposuit quod, cum filius eius, Daniel nomine, septem mensibus ruptus foret, nec ulla posset medicorum arte curari, die transitus fratris Ambrosii accessit mater cum filio
* *f. 81v* ad praesentiam funeris in-*sepulti; accipiensque mulier manum fratris signum crucis sanitatis gratia super rupturae locum signavit; quo facto, inflatura detumuit, reversusque puerulus ad propria cum matre sua nullam sensit ulterius passionem.

---

[a] C *ursi sex posuit.* [b] C *per fidem.*

---

[1] Cf. IV Reg. II, 23 sq. [2] Cf. supra pag. 17 sq.

23. Palmerius, pecorarius de vico Sancti Laurentii, iuratus asseruit quod, cum occasione cuiusdam ponderis VII annorum spatio fractus in pectine exstitisset ita, quod intestina descenderent in vesicam, desperatus a medicis fratri Ambrosio se devovit et ipsius meritis plenam meruit sanitatem. Addidit etiam vir praedictus quod, cum moneretur a fratribus ut veniret die certo perhibiturus testimonium de miraculo supradicto, nec venisset in termino praefinito, se gravius recidisse [a] quam antea passus foret. Voto igitur reiterato, Deo et fratri Ambrosio repromisit quod, si sibi misericorditer parcere dignaretur, absque morae dispendio perhiberet testimonium veritati. Ad quod dictum intestina, quae descenderant iterato, ad locum debitum continuo sunt reversa.

24. Cinchius Odonis, de vico Sancti Faustini, iuratus dixit quod, cum filius eius duobus mensibus ruptus exsi-*steret et per plures medicos adhiberi sibi remedia procurasset, nec in aliquo profecisset [b], cum uno tandem medicorum pepigit, ut eumdem ferri praecisione curaret; timens tamen de morte filii, quod pacto convenerat, fieri

*f. 82r

[a] C *recedisset.* [b] C *proficisset.*

non permisit. Advesperascente igitur die quodam, una cum uxore sua fratri Ambrosio devovit eumdem, maneque facto invenit puerum sancti fratris meritis plenissime liberatum.

25. Domina Laetitia testificata iuravit quod, cum filius eius, nomine Andriotus, in pectine fractus esset et inflatus pectore ac vesica, nec propter aëris intemperiem auderet eum medicis tradere incidendum, voto facto ad fratris Ambrosii tumulum parvulum deportavit. Ubi cum pro salute filii in oratione persisteret, cunctis cernentibus qui adstabant, puer illico est sanatus, dimissisque ligaminibus, quibus exstitit fasciatus, sanus et alacer ad propria est reversus.

26. Matrona [a] quaedam, nomine Riccadonna, mater Henrici Roculi de vico Sancti Iuvenalis, iuramento firmavit quod, cum filia eius, vocabulo * Benenata, in collo et spatula tumorem magnum ex apostemate toleraret ita, quod collum ipsum nequaquam posset flectere seu movere, fratri Ambrosio votum vovit quod, si misericorditer eam Dominus respicere dignaretur, sepulcrum eius cum imagine cerea visitaret; sequenti mane crepuit apostema, et effusa sanie

* *f. 82v*

[a] C praem. rubr. *De apostematibus.*

turpi valde peroptime exstitit liberata. Adiunxit etiam mulier supradicta quod, cum filius eius, Henricus nomine, passione cardiaca laboraret, nec aliquem invenire posset, qui sibi super hoc remedium efficax adhiberet, facto voto fratri sanctissimo, super ipsius tumulum collocavit eumdem; ubi cum sanitatis gratia tempore modico perstitisset, ad invocationem servi Dei puer illico est curatus.

27. Beneamata, filia Bonsignoli de vico Sancti Iuvenalis, iurata deposuit quod, cum apostema gravissimum in capite toleraret, nec dormire posset aut in lecto caput suum aliquatenus reclinare, facto voto fratri sanctissimo, praesentibus sororibus suis, per nares crepuit apostema, et confestim dicti fratris meritis totalem mulier habere promeruit sanitatem. * *f. 83r*

28. Seramia, uxor Arvini de vico Sancti Angeli de Posterula, testificata iuravit, quod, cum vir eius infirmaretur ad mortem et apostemate gravi valde in tantum ut refrigescerent membra eius tanquam hominis morientis, fratri Ambrosio votum vovit quod, si virum suum misericorditer liberaret, toto tempore vitae suae erogaret pauperibus eleemosynas largiores; quo facto, confestim crepuit apostema, et putredinem

commixtam sanguine eiciens per os suum, sequenti mane de grabato consurgens, sanitati pristinae totaliter restitutus est.

29. Gemma, uxor Rainaldi Floremantis de vico Sancti Christophori, iurata deposuit quod, cum haberet in pectore apostema et ex doloris angustiis [a] febres acutas incurrisset ita, quod alienata mente totaliter videretur ac de vita ipsius medici penitus desperarent, vir eius fratri sanctissimo repromisit quod, si coniugem suam sanitati reddere dignaretur, imaginem ceream et fornacem calcinae pro ipsius ecclesia construenda devotus offerret. Quo emisso, illico crepuit apo-
* *f. 83v* stema, et emissa sanie mixta sanguine * per os eius, febris quoque recessit, ac sequenti die beati viri limina pedibus propriis visitavit.

30. Domina Supercla, uxor Acomandi de vico Sancti Constantii, iuramento firmavit quod, cum multis esset infirmitatibus occupata et circa femur haberet insuper apostema, nequaquam de lecto surgere poterat aut extendere crura sua. Die igitur quo beatae memoriae frater Ambrosius a saeculo transmigravit, afflicta multipliciter se devovit eidem, promittens imaginem ce-

---

[a] C *angustias.*

ream ad ipsius tumulum delaturam. Quo emisso, sentiens illico meliorationem dare sibi petiit vestimenta, et de lecto consurgens ad corpus dicti fratris accessit, ac revertens ad propria ab [a] infirmitate qualibet ipsius meritis totaliter exstitit liberata.

31. Divitia, uxor Benetendi, de vico Sancti Angeli, iurata deposuit quod, cum filia ipsius, Fictà Montagna [b] vocabulo, diebus xv tumorem [c] horribilem passa foret in collo, putredo magna et sanies vaporabat ex eo, ac rubore maximo est perpessa. Cumque mater ipsius sero quodam fratri * Ambrosio devovisset eamdem, mane facto puella surrexit sanitati pristinae restituta. * *f. 84r*

Auditor. Cum corrupta soleant consuetudine mulieres de pulchritudine corporis superbire, saepe quoque non habitam fictionibus mendicare, iusto valde iudicio nonnunquam corporaliter in praesenti poenis gravissimis atteruntur, ut in eo videlicet poenas luant, quo sibi culpam inesse superbiae designarunt et occasionem aliis gesticulatione noxia praestitere ruinae.

Narrator. Non solum feminas, sed et viros, licet non tam generaliter, novimus de forma car-

[a] C om. [b] C *Montangna*. [c] C *tumurem*.

nis intumescere et unde munia gratiarum Conditori suo copiosius solvere debuerant, inde [a] fortius impugnare [b]. Unde principi Tyri per Ezechielem dicitur [1]: *Elevatum est cor tuum in decore tuo.* Iustitia quoque animadversionis iuste subiungitur, cum infertur: *Producam ergo ignem de medio tui, qui comedat te, et dabo te in cinerem super terram in conspectu omnium videntium.* Quia enim de concessa Dei munere
* *f. 84v* pulchritudine corporis intumuit, ab * eiusdem carnis medio recte ignis vindictae [c] progreditur, ut in ipso digne poenam sustineat, quo solius Dei propriam gloriam inaniter exquirebat. Ubi et apte subiungitur: *Dabo te in cinerem super terram in conspectu omnium videntium te.* In cinerem namque super terram redigi est, cum [d] nihil de se ipso nisi [e] putredo et vermis homo exsistat, se [f] humiliatione qualibet ab erectione superbiae inclinatum ostendi. Quod nimirum ad examinationem miseriae in conspectu videntium fieri perhibetur, ut ignominiam poenae graviorem coram illis tolerent, quibus occasionem certe scandali noxie

[a] C *unde.* [b] C *impungnant.* [c] C *vincdicte.*
[d] C *quam.* [e] C om. [f] C om.

[1] Ezech. XXVIII, 17 sq.

praestiterunt. Hinc etiam de vanitate et poena pariter mulierum Isaias dicit [1]: *Pro eo quod elevatae sunt filiae Sion et ambulaverunt extento collo et nutibus oculorum ibant et plaudebant manu et pedibus suis composito gradu incedebant, decalvabit Dominus verticem filiarum Sion et crinem earum nudabit;* quamvis et apte satis in inflictione poenae corporalis saepe soleat transgressoris iniquitas et punientis aequitas demonstrari. Quid enim aliud per significationem apo- *f. 85r
stema in corpore nisi tumo-*rem elationis signat in mente? Quae nimirum, quia saepe a videntium oculis occultatur interius, per confirmationem poenae congruentis, iudicante Domino, exterius aperitur. Ezechias namque, rex Iudaeae, cum post Assyriorum stragem divina virtute perfectam in corde superbiens tumuisset nec dignas Deo pro victoria gratiarum retulit actiones, recte ulcus in corpore pertulit, quod occultam hominibus cordis eius inflationem patenter ostendit. Unde et alibi de superbo Israel populo scriptum est [2]: *Arrogantia Israel respondebit in faciem eius.* Peccatum enim arrogantiae, quod in corde superbientis populi latuit, per inflictae captivi-

[1] Isai. III, 16. [2] Ose. V, 5.

tatis poenam in aperto respondit; sed deleta per lamenta poenitentiae culpa cordis, cataplasmate ficuum rex humiliatus curatur, quia quos amaritudine poenitentiae inclinatos adspexerit, misericors Dominus infusa dulcedine consolationis admittit. Hinc est enim quod filio prodigo revertenti *pater misericordiarum et Deus totius consolationis* [1] occurrens non solum recipit poenitentem, verum etiam in signum familiaritatis pristinae super collum ipsius recidit, ac perfectae
* *f. 85v* reconcili-*ationis indicio emendatum deosculans consolatur.

Auditor. Libenter [a], fateor, a narrationis ordine recedere [b] paulisper fore dignissimum, dum te video nonnunquam multo utilitatis foenore verbis meis apertius respondere.

Narrator. 32. Ranerius [c] Christiani de vico Sancti Iuvenalis iuratus asseruit quod, cum annis XII in sinistro pede gutta fistula gravaretur, nec adhibitis undecumque remediis posset aliquatenus liberari, quin etiam commorari iuxta

---

[a] C *libet*. [b] C. om. [c] C praem. rubr. *De fistula*; inferius, ad 33, *De lupa;* ad 35, *Aliud miraculum*.

---

[1] II Cor. I, 3. Cf. Luc. XV, 11 sq.

eum vix aliquis poterat prae foetore, exhortatus a sorore sua fratri Ambrosio humiliter se devovit; ad cuius invocationem ita coepit continuo meliorari, quod die tertio post emissionem voti ab infirmitate praedicta totaliter exstitit liberatus.

33. Matrona quaedam, Iacoba nomine, de vico Sancti Andreae, iurata deposuit quod, cum filia sua, vocabulo Claravisu [a], morbum, qui lupa dicitur, in capite pateretur, advesperascente die quodam, dum adhuc viveret frater Ambrosius, contigit eum transitum facere per contratam; quem cum domina supradicta precaretur humiliter et devote, ut super * infirmitatem filiae consilium poneret et [b] iuvamen, dictus frater morbum intuens manu tetigit et signo crucis pariter consignavit. Mane autem facto, cum puella de lecto surrexisset, respiciens mater locum lupae, videbatur sibi impressum cernere signum crucis, ac die tertia ab infirmitate praedicta puella plenissime est sanata. * *f. 86r*

34. Stephanus Hermanni de Hylglano iuramento firmavit quod, cum duobus annis morbum, qui cancer dicitur, in tibia pateretur ita, quod crus totum ex magna sibi videretur parte

---

[a] C *Claruvisu.* [b] C om.

corrosum, nec posset medicorum arte curari, licet in eis plurimum expendisset [a], votum faciens dicto fratri, per eiusdem merita desiccato morbo plenissime infra duos dies exstitit liberatus.

35. Berta, Scanni pisani coniux, de vico Sancti Iuvenalis, iurata dixit, quod, cum filius eius, Maximianus [b] nomine, per annum et dimidium infirmitate, quae rabiata dicitur, passus foret ita, quod ex omni parte collum cum capite horribiliter tumescens haberet, sero quodam fratri Ambrosio vovit eum; quo facto sequenti mane, cum surrexisset puer de stratu suo, apparuit
* *f. 86v* optime liberatus. *

36. Theodora, uxor Manentis fabri de vico Sancti Andreae, testificata iuravit quod, cum filia eius, nomine Morvida, trium mensium spatio gutta cornea premeretur, ad invocationem fratris Ambrosii vovente matre plenissime est curata. Cum autem, redeunte viro domum, assereret mulier filiam suam fratris sancti meritis liberatam, maritus eius indigne tulit coepitque maledicere sanctum Dei; unde contigit [c], sicut credit [d], quod

---

[a] C *expedisset.* [b] L *Maximanus.* [c] C *contingit.* [d] L *creditur.*

praedicta filia recidivans solito gravius est afflicta. In lecto igitur aegritudinis constituta, cum audisset puellam quamdam de Montepulciano [a] supradicti fratris meritis exstitisse sanatam, dixit: « Sancte Ambrosi! alienos liberas et domesticos derelinquis? Rogo te precibus iteratis, ut me miseram gloriosis tuis meritis liberare digneris; quod si feceris, anno quolibet revertente die transitus tui necessaria uni pauperi ministrabo ». Quo emisso, confestim mulier ita plene convaluit, quod nunquam deinceps dictae passionis aliquam senserit laesionem.

37. Mathaliona, uxor Rainutii mercatoris de vico [b] Apostolorum, iuramento firmavit quod, cum frater Ambrosius * in extremis exsisteret * *f. 87r* constitutus, accessit ad locum ducens secum filiam suam, Massanam nomine, quae ab annis quatuor glangulos [c] habens in gutture horribilis intuentibus apparebat, rogavitque dictum fratrem, ut super morbo filiae signum faceret sanctae crucis. Quod cum fecisset, sequenti die puella totaliter est curata.

38. Tornambene carnifex urbevetanus iuratus dixit quod, cum annis quatuor passione car-

[a] C *Montepulcia.* [b] L add. *S.* [c] Sic C, L *glandulas.*

diaca laborasset, nec praedicti temporis spatio aliquid operari valeret, ad exhortationem cuiusdam vicini sui fratri Ambrosio votum vovit quod, si eum misericorditer respicere dignaretur, sepulcrum eius cum imagine cerea visitaret. Quo emisso, incontinenti surrexit homo de stratu suo, nec aliquam deinceps morbi praedicti sustinuit passionem.

39. Domina Iacoba Ydombrandi de Lubriano [a] iurata deposuit quod, cum infirmitatem, quae livida dicitur, diebus quatuor in gutture [b] passa foret ita, quod nequaquam comedere poterat seu potare, invalescente morbo loquelam perdidit de salute penitus desperata. Ducta igitur ad Urbemveterem festinanter, fratri Ambrosio votum vovit * quod, si eam ab infirmitate gravissima
* *f. 87v* liberaret, ad sepulcrum eius imaginem ceream pedibus propriis deportaret. Igitur mane facto surgens mulier de grabato invenit se totaliter sanitati pristinae restitutam, reversaque cum gaudio in domum suam diligentius adimplere studuit, quod promisit.

40. Domina Gisla Devica Canutii iuramento firmavit quod, cum XXIIII^or^ annorum [c] spatio offi-

---

[a] L *Aldobrandi;* Fumi, l. c. p. 134, « di Aldobrandino Martini da Subiano ». [b] L om. *i. g.* [c] Fumi, l. c. p. 131, « da quattordici anni ».

cio aurium destituta fuisset, accessit ad tumulum dicti fratris ac voto facto audivit statim divina officia celebrantes et, videntibus multis in ecclesia constitutis, ostendit nutibus atque signis se plenissime liberatam.

41. Matrona quaedam, Sclaralda nomine, uxor Aegidii de Valle Platta [a], iurata deposuit quod, cum filius eius fluxu sanguinis laboraret ita, quod de vita pueri desperaretur omnino, fratri Ambrosio repromisit quod, si misericorditer suum filium liberaret, ipsius tumulum cum imagine cerea visitaret; quo emisso, puer illico a fluxu sanguinis exstitit liberatus. * *f. 88r*

42. Caradonna, uxor Girardi de Valle Platta, iurata dixit quod, cum foetus [b] in eius utero quatuor mensium tempore iam exstinctus nulla posset arte vel studio extra mitti, sed diebus tribus ac noctibus angustiata loquelam perdidisset, maritus eius fratri Ambrosio votum vovit quod, si coniugem suam misericorditer liberaret, ipsam cum imagine cerea eius mitteret ad sepulcrum. Voto igitur facto, mulier dicta peperit abortivum et ab angustiis aliis per ipsius merita statim exstitit liberata.

---

[a] C *Valle Planta*. Fumi, l. c. p. 135, « Vallepiatta »; item infra, n. 42, ubi C legit *Valle Placte*. [b] C *fetu*.

43. Gilius de vico [a] Apostolorum iuratus dixit quod, cum spatio sex annorum dyssenteria laboraret in tantum, quod praesentiam eius prae foetore nimio nemo poterat tolerare, invocato nomine fratris Ambrosii, plenam protinus obtinere promeruit sanitatem.

44. Bonacursus Rainaldi de vico Sancti Faustini iuratus asseruit quod, cum os filii sui intolerabiliter foeteret, et lingua eius ex magna foret parte corrosa, nec non et [b] ulcera quaedam in ipsius genis exorta horrorem intuentibus afferebant; cumque non posset reperire medicum, qui susciperet curam eius, puer * ipse rogavit patrem, ut eum sancti fratris duceret ad sepulcrum; quod cum pater annuens perfecisset, dicti fratris meritis puer ipso die exstitit liberatus.

*f. 88v

Auditor. Magna certe fratris istius merita in conspectu Dei, cuius suffragiis tam diversa curationum genera impetrantur; multarum etiam gratiarum debitores exsistunt, quibus misericorditer afflictionis tantae levamina conferuntur.

Narrator. Multae quidem redhibitionis, ut asseris, apud Deum obnoxios arbitror sic curatos, sed nec minoris forsitan gratitudinis debito

---

[a] L add. S. [b] L om.

extimo nos adstrictos, qui, licet tales non senserimus in corpore passiones, haec ipsa tamen aut alia graviora istis pertulisse potuimus, nisi praeservantis effectu gratiae salvaremur. Hinc enim scriptum est [1]: *Misericordiae Domini, quia non sumus consumpti;* et psalmista ait: *Nisi quia Dominus adiuvit me, paulo minus habitasset in inferno anima mea.* Ac si aperte, coniuncta utraque sententia, sic dicatur: Sola Dei misericordia est quae nos a praesentis vitae periculis ne consumamur custodit, sola pariter quae labentes ne in * dentibus detineamur inferni, sus- * *f. 89r*
tentando conservat. Hinc etiam Isaias [a] dicit [2]: *Nisi Dominus exercituum reliquisset nobis semen, quasi Sodoma fuissemus et quasi Gomorrha similes essemus.* Nam *sicut Sodoma et Gomorrha et finitimae civitates exfornicatae* [b], *post carnem alteram abeuntes, exemplum ignis aeterni poenam sustinentes* [c] *factae sunt*, sic nimirum nos ab adolescentia semper quod ex nobis est in deteriora proclivi, nisi semine gratiae muniremur, ad iniquitatis ultima devoluti, in combu-

[a] C *Ysaac.* [b] C *ex fornicatione.* [c] C om. *p. s.*

[1] Thre. III, 22; Ps. XCIII, 17. [2] Isai. I, 9; inferius Iud. 7.

stionem et cibum ignis aeterni peccatorum meritis transissemus. Si ergo gratiae debitores existimas illos quibus cognoscis impensa beneficia sanitatum, crede nihilominus gratitudinis multae vinculis alligatos, quos misericordia liberans[a], ne in horum similia caderent, conservavit immunes.

Quis autem hominum certa valeat definitione monstrare, utrumne sanitas corporis aut membrorum utilitati semper militet animarum, cum plerumque viris iustis non sine dispensatione multa collatas vires[b] videamus auferri et concessas peccatoribus *iniquitatis arma peccato*[1] cernamus econtrario ministrari? Utilius namque
*f. 89v futurus doctor gentium, per-*cutiente Domino, Paulus visum perdidit corporalem quam, cum ignorantiae nocte possessus, Christi membra persequens ad supplicia pervigil attrahebat. Utiliori quoque forsitan dono gratiae Tobias senior post tot opera misericordiae oculorum exteriorum lumen amisit, ut videlicet ab activae tumultibus et distractione curarum ad intima contemplationis revocatus, agnosceret quantum sibi dulcedinis per sollicitudinum[c] turbationem *erga plurima*[2]

[a] C *libans.* [b] C om. [c] C *solicitudinem.*

[1] Rom. VI, 13. [2] Luc. X, 41.

defuisset, vel certe, sicut legitur [1], *hanc tentationem* idcirco *Dominus evenire permisit, ut patientiae* ipsius *exemplum posteris mandaretur,* quatenus qui perfectionem in operibus misericordiae sollicitus exhibere curaverat, exemplar [a] quoque patientiae. caecitatem viriliter sustinens, ministraret. Nemo ergo a divinae laudis participatione secernitur aut debito gratiae invenitur immunis, quia sive sanitatis aut aliarum gratiarum dona compartiat, sive tulerit iam concessa, sive etiam fragilitati nostrae prospiciens [b] nos a poenis exemerit [c] ne super veniam presse puniret [d], totum plane quod agitur piis mentibus proficit ad utilitatem, totum etiam ad amorem * Patris *f. 90r* benefici et debita gratiarum obsequia persolvenda utriusque hominis nostri affectionem simul et operam accendit.

Auditor. Placet quod dicis. Sed adhuc deprecor ut procedas, et de tanti viri gestis, si quid mente retines, ut coepisti, pandere non omittas.

Narrator. 45. Domina Guilgla, uxor Franculi de vico [e] Apostolorum, testificata iuravit,

---

[a] C *instar.* [b] C *prospiens.* [c] C om. [d] C *prese* cum spatio vacuo. [e] L add. *S.*

---

[1] Tob. II, 12.

quod, cum fratris Ambrosii miracula derideret, quae sibi narraverant convicinae, reversa domum visum perdidit oculorum; sed confestim poenitens mulier incredulitatis et irrisionis suae dicto fratri votum vovit quod, si visum sibi perditum restituere dignaretur, caecitatis suae culpam et ipsius confiteretur publice sanctitatem. Quo emisso, per eiusdem merita sanitati pristinae restituta, Deo et fratri sanctissimo confessione publica laudes debitas persolvebat.

46. Francisca, uxor Compagni [a] de vico Sancti Faustini, iurata deposuit quod, cum filius, Franciscus nomine, oculum dextrum haberet albugine
* *f. 90v* sic ob-*sessum quod ex eo nihil videns ipsum continue manibus confricaret, ad sepulcrum viri Dei vovente matre perductus est et super tumulum collocatus; ubi cum tempore modico permansisset, descendit illico viri sancti suffragiis optime liberatus [b].

47. Domina Godivilla, uxor Petri de Sancta Cruce, iuramento firmavit quod, cum filius eius, Angelus nomine, die quadam sanus domi et incolumis remansisset et ipsa pro panniculis filii abluendis ad rivum quemdam de prope divertis-

[a] C *Compangni*. [b] C *liberata*.

set, in reversione sua dictum filium reperit auditu, visu et loquela privatum; sicque permanens ab hora nona usque ad vigiliam matutinam, emisso voto, fratris Ambrosii perductus est ad sepulcrum; cumque mater ibidem vigilans cum filio pernoctasset, circa horam, ut diximus, matutinam puer, recepto visu pariter et auditu, coram illis, qui aderant, est locutus.

48. Domina Franca, de vico Sanctae Mariae, iurata dixit quod, cum tempore quadragesimali orationis causa profecta esset ad Urbem et per stationes more solito circuiret, in tantum debilitatus est visus eius, quod nonnisi ducatu filii ad Urbem-*veterem ullatenus potuit remeare. Cum re-* *f. 91r*
diisset ergo domum, nec per se posset sancti fratris tumulum visitare, ducentibus eam convicinis, cum venisset ad locum, ibidem pervigil excubabat et circa noctem mediam lumen perditum reaccepit.

49. Ligerius, clavarius Urbisveteris, iuratus asseruit quod, cum Benevenutus eius filius et quamplures alii balneandi causa ad flumen, quod Valea dicitur, descendissent, iuxta ripam fluminis, sicut a patre monitus fuerat, balneabat. Cumque pater ad loca alia paululum divertisset [a], puer ipse ad profundiora se transtulit et

[a] C L *devertisset.*

rapiente fluvio est submersus. Porro puer alius, qui hoc vidit, cucurrit ad patrem festinanter et, quid eius filio contigit, enarravit. Currens ergo pater ad gurgitem nec invento filio secedebat et, laceratis crinibus, *cum clamore valido et lacrimis* [1] sic aiebat: « Sancte Ambrosi, redde mihi filium meum! » Unus autem de adstantibus, Gualterius nomine, ostenso sibi loco gurgitis, se mersit in profundum et, invento tandem puero, traxit eum de flumine iam defunctum. Cumque super ripam fluminis extractum puerum collocasset, subito
*f. 91v * contra spem omnium puer ipse [a] vixit et apertis oculis exclamavit: « Sancte Ambrosi, adiuva me! » Quod cum pater audisset, assumens filium festinanter ad civitatem multis comitantibus est reversus et ad sancti fratris tumulum dictum filium incolumem deportavit.

50. Montaria, uxor Ugolini sellarii de vico Sancti Christophori, testificata iuravit quod, cum domina Clara Zaldonis filium masculum peperisset, dominabus praesentibus puer apparuit abortivus. Volentes igitur obstetrices [b] an viveret experiri, miserunt eum in aquam calidam, ut an-

[a] L om. [b] C *ostentrices*.

[1] Hebr V, 7.

helitus sive motus indicio hoc probarent; cumque nec sic vox aut sensus apparuisset in ipso, quippe quia livore percussus mortui speciem praeferebat, coeperunt omnes simul dominae voce lacrimabili proclamare: « Sancte Ambrosi! misericordiam tuam humiliter imploramus [a], ut super hunc puerum divinae virtutis gloriam demonstrare digneris, quatenus, donec baptisma receperit, vitalis in eum spiritus revertatur ». Ad cuius invocationem illico revixit puer et baptismi gratiam consecutus hebdomadis IIII^or^ supervixit. * * *f. 92r*

51. Altagratia Ioannis de vico Sanctae Mustiolae iurata dixit quod, cum filium suum, Franciscum nomine, reclinasset in cunis et oppressa somno diutius obdormisset, dictus infans huc illucque se volvens a cuna cecidit et in terra volutans prae frigore exspiravit. Expergefacta vero mulier respexit cunam et, non viso filio, acclamavit virum et ait: « Ubi est filius noster? » Quo audito, stupefactus homo prosiliit de grabato, et plorantes parvulum pariter requirebant ac sine pulsu vitali frigidum [b] repererunt iuxta cunabulum cecidisse [c]. Fratris igitur Ambrosii

---

[a] C *improramus.* [b] C *frigidunt.* [c] C *cecidisset.*

protinus auxilium invocantes eumdem sibi filium suppliciter devoverunt; quo facto, puer illico moveri coepit et dicti fratris meritis optatam habere promeruit sanitatem.

52. Leonardus de Montepulciano iuramento firmavit [a] quod, cum filius eius, Ioannes nomine, de palatio domini Ugolini incaute respiciens per fenestram altitudine v passuum et pedum IIII^or^ cecidisset, viri simul et mulieres, qui prope aderant in platea, invenerunt humorem
* *f. 92v* quemdam lacti similem per aures * pueri effluxisse. Pater igitur adveniens, assumptum filium inter brachia deportabat, indagari volens, utrum in eo vitae spiritus remansisset; sed iudicio omnium qui adstabant, cerebrum ipsum de capite vaporabat: unde omnes omnino illum mortuum affirmabant. Facto igitur voto fratri Ambrosio, puer illico quasi excitatus a somno revixit et, videntibus cunctis qui advenerant, sanitati pristinae est donatus.

53. Balduinus quidam, filius Bartheloti, cum iuxta insulam Lilii naufragium pateretur, ab hora tertia usque in horam nonam aquis exstitit praefocatus. Cumque viri et mulieres accurrentes lit-

[a] C *iuramenvit* pro *i. f.*

tori liberare cuperent naufragantem, Lupicinus quidam nudatus vestibus in mare se misit inveniensque submersum detraxit ab aequore iam defunctum. Suspensum ergo pedibus elevabant in altum, ut aquas haustas emitteret per os suum; nihil tamen efficientes de sepultura mortui disponebant. Mulier autem una de adstantibus, nomine Montagna [a], consilium praebuit, ut eumdem fratri Ambrosio devoverent. Quod cum [b] factum fuisset, confestim * coram omnibus qui mortuus fuerat redivivus effectus, Deo et fratri Ambrosio gratiarum debitas retulit actiones. * f. 93r

54. Domina Rosa Magaloti de vico [c] Apostolorum testificata iuravit quod, cum nocte quadam parvulum filium collocasset in cunis, dormientibus ipsis, apparuit frater Ambrosius mulieri dixitque ei: « Surge, surge, quia filius tuus inter arcam et murum delapsus, nisi cito accurreris, suffocabitur ». Expergefacta vero mulier maritum protinus acclamavit et, narrata sibi visione praedicta, in cunis puerum requirebant. Quo non invento, ad locum quem praedixerat frater sanctus continuo cucurrerunt et iuxta verbum eius incolumem puerum a loco, in quo ceciderat, levaverunt.

---

[a] C *Montangna.* [b] C om. [c] L add. *S.*

55. Guido Petri Brunae notarius iuratus asseruit quod, cum ipse infirmitate gravatus nocte quadam dormire non posset, apparuit ei vir quidam venerabilis habitu fratrum Minorum indutus quasi stella resplendens; dumque fratrem Ambrosium extimans requireret ab eodem de gloria et de statu suo, respondit ei: « Fili benedicte! ne moreris uxorem tuam a somno quo
f. 93v premitur excitare, quia filius vester moritur et curvatus inter lectum cecidit atque murum ». Excitata igitur coniuge, festinanter ambo pariter surrexerunt et [a] in loco quem praedixerat exanimem puerum repererunt; sed mox voto se fratri Ambrosio astringentes, redivivum filium accepisse laetati grates debitas persolverunt.

Auditor. Quoniam [b], sicut dicit Gregorius [1], « cum bonus seu malignus spiritus aliquo moriente egredientem animam susceperit, in aeternum sine ulla [c] permutatione secum retinebit »,

---

[a] C om. [b] C om. [c] C *nulla*.

---

[1] Hanc sicut iacet non inveni sententiam. Sed in *IV Dialogorum*, c. 28, tantum habui: « Sicut electos beatitudo laetificat, ita credi necesse est quod a die exitus sui ignis reprobos exurat »; et c. 39: « Qualis hinc quisque egreditur, talis in iudicio praesentatur » (Migne, PL 77, 365 et 396).

quomodo verum esse poterit quod factum legimus [1] per eumdem, ut videlicet suis precibus imperator romanus ab inferni suppliciis erutus ac postmodum vitae perpetuae sit adscriptus?

Narrator. Si superiora [2] retines, quae percunctanti tibi responderim in hac parte de divina sententia finaliter iudicatis, tenendum est quod beatus Gregorius de quibusdam decedentibus definivit, quod nimirum, ut praediximus, definitiva sententia liberati ad supplicia nequaquam proveniant [a] aut aeternis mersi suppliciis ad ereptionis suffragia non resurgant. Unde scriptum est [3]: * *Si ceciderit lignum ad austrum aut ad* * f. 94r
aquilonem, in quocumque loco ceciderit, ibi erit. Ad austrum namque lignum cadere est decedentis cuiuslibet animam aeternis gaudiis iam re ipsa sive etiam purgatoriis sedibus sub spe certa futurae liberationis adscribi; ad aquilonem vero deflecti est flammis infernalibus pro suorum qualitate peccaminum irrevocabiliter deputari.

[a] *C provant.*

[1] S. Gregorii Vita, auct. Paulo Diacono, n. 27; eadem auct. Ioanne Diacono, II, n. 44. Cf. S. Bonav., *I Sent.*, Dist. 43, dub. 7; *IV Sent.*, Dist. 20, p. I, dub. 3; *Leg. mai. S. Francisci*, Mirac. § II, n. 1. [2] Pag. 57sq.
[3] Eccle. XI, 3.

Quod vero de revocatione Traiani per beati Gregorii merita impetrata perurges [a] enixius quaestionem, idipsum [b] plane quod de pluribus aliis sanctorum precibus revocatis ad vitam legimus arbitror et de ipso sine praeiudicio melioris sententiae contendendum [c]: quod, quamvis praeter fidem caritate subnixam a praesenti vita subtracti locis infernalibus fuerint deputati, non tamen definitivam Dei sententiam, ut sic aeternaliter permanerent, acceperant condempnati [1]. Potuit enim fieri, ut in conspectu Iudicis intimi dispositionem aliquam fidei seu bonorum operum adhuc in carne viventes vel attritionem cordis circa mortis articulum concepissent, quae profecto iuxta Dei miserentis placitum suo tem-
*f. 94v pore potuit provehi ad maiora, * hoc est ad effectum gratiae sanctorum meritis consequendum. Unde psalmista circa quosdam irrevocabilem divini iudicii aequitatem, in aliis admirabilem misericordiam eius annuntians, sic dicebat [2]: *Dominus regnabit in aeternum et in saeculum*

---

[a] C *perurgens.* [b] C *ad ipsum.* [c] C *contendum.*

---

[1] Similiter S. Bonav. *III Sent.*, Dist. 22, q. 5, ad 5, et *IV Sent.*, Dist. 45, art. 1, q. 3, ad 1, distinguit inter sententiam definitivam et non definitivam. [2] Ps. X, 17.

saeculi; peribitis gentes de terra illius; desiderium pauperum exaudivit Dominus, praeparationem cordis eorum audivit auris tua. Qui enim rectius nomine *gentium* quam infideles perditi aut peccatores etiam christiani more gentium conversantes exprimuntur? Qui nimirum *bonitatis* Dei *divitias contemnentes* [1], dum viventes in carne peccandi sibi terminum ponere noluerunt, iusto certe iudicio *de terra* viventium tamdiu perdendi sunt quamdiu *Dominus in aeternum* et ultra *regnaverit* in eadem. At vero peccatores alii virtutibus et operibus fructuosis se pauperes agnoscentes, si desiderio correptionis affecti *cor suum* ad susceptionem gratiae licet minus debito *praeparent* [2], misericordis tamen Patris aurem non praetervolat interioris habilitas dispositionis; qui si etiam sanctorum interpellatione deductus talibus misericordiam supra merita praerogat, nequaquam * tamen iustitiam * *f. 95r* suam abnegat, quod nimirum manifeste faceret, si perseverante culpa peccantium poenam transgressoribus debitam relaxaret [a]. Nunc vero quia diximus quod [b] sanctorum suffragio accedente ad

[a] C *relaxare.* [b] C om.

[1] Rom. II, 4. [2] II Paral. XII, 14.

merendi statum eiusmodi revocat, ut praeteriti damna temporis vitae spiritualis novitate compensent ac radice caritatis fundati fructus proferant [a] ampliores, nihil utique Iudicantis veritati dissonum, nihil agit indignum, sed omnipotentiae suae gloriam parcendo maxime manifestans, abundantiam quoque [b] pietatis et dulcedinis multitudinem super omnia opera sua enixe [c] declarans, misereri potius eligit quam irasci.

[a] C *proferent.* [b] C *quousque.* [c] C *enuxe.*

IV.

De quibusdam aliis fratribus [a].

Auditor. Mire quidem excitationi meae manifesta ratio satisfecit; at nunc obsecro, quo [b] coeperas et quae de fratribus aliis nostri Ordinis enarranda spoponderas, prosequaris.

Narrator. Licet teste Scriptura [1] cognoverim, quod, sicut *sacramentum regis abscondere bonum est*, ita etiam *opera* magnitudinis *revelare et confiteri honorificum*, valde tamen, fateor, sollicitudo [c] tua me * provocat et auditus * *f. 95v*
attentio incitat in idipsum. Unde, sicut postulas, ibet adhuc supradictis adicere fratrum gesta quorumdam, ut divinae laudis opera, lingua licet

---

[a] C om. *d. q. a. f.* [b] L *quod.* [c] C post corr.

---

[1] Tob. XII, 7.

imperita fidelibus enarrata, devotionis accipiant incrementum. Licet autem longe lateque constupenda cunctis per Dei servos fratres nostros indicia fulserint sanctitatis, eorum tamen maxime, quae in partibus Italiae perpetrata noscuntur, subit animum formam perstringere et a multo iam tempore negligentia quadam cognitioni fidelium occultata ad notitiam omnium, praeeunte Dei gratia, stilo deducere certiori.

De fratre Gratiano, qui requiescit Auximi [1].

Erat namque sacerdos de Romaniolae [a] partibus oriundus, nomine Gratianus, qui mirae simplicitatis cultor exsistens admiranda saeculis omnibus opera, dum adhuc viveret, auctore Christo perpetravit.

1. Nam cum mulier quaedam de civitate Auximi alterius oculi lumine destituta sanitatis gratia venisset ad virum Dei, ducebat filium utrius-

[a] C *Romagnole.*

[1] Iste est Gratianus, qui, dum in Romaniola ministerium fratrum gerebat, S. Antonium post celebratum generale capitulum Assisii (1221) suscepit secumque duxit, ut in eiusdem sancti legenda primitiva, cap. 6, narratur.

que oculi luce privatum, rogavitque suppliciter coram multis, ut tam sibi quam filio signum crucis super oculos consignaret; * frater autem * f. 96r
Gratianus simplicitate pura et fide plena processit ad medium et in conspectu omnium, qui adstabant, sicut petierat mulier, utriusque oculis signum crucis impressit. Quo facto, mater et filius ad propria revertentes desiderata salute potiti sunt et Deo laudes debitas persolverunt.

2. Iuvenis quidam de Vectice, cum passione frenetica laboraret in tantum, ut stridoribus et ululatibus inquietaret admodum convicinos vestesque proprias manibus ac dentibus laniaret, ad fratrem Gratianum ducente matre pervenit. Cumque super eum signum crucis humiliter consignaret, puer illico est curatus ita, quod deinceps aegritudinis supradictae nullam pertulit passionem.

3. Vir [a] quidam de Ripa Transonis, cum magnum pondus lignorum in humeris deportasset, ta graviter cecidit, quod fractus gibbum quemdam ad instar ovi iuxta ilia contraxit. Confidens se igitur fratris Gratiani meritis posse ve-

[a] C praem. rubr. *De contracto;* inferius, ad 4, *De dolore pedum;* ad 5, *De rupto;* ad 6, *De ceco;* ad 8, *De contracto;* ad 9, *Aliud miraculum.*

raciter liberari rogavit eum, ut super rupturae
* f. 96v locum signum crucis facere dignaretur. * Quod cum frater hilariter annuisset, adiecit: « Confide, fili! » tactoque loco vulneris benedixit eum et dimisit. At ille reversus ad propria invenit gibbum totaliter complanatum.

4. Leopardus Salvi, cum longo tempore infirmitatem pedum gravissimam tolerasset ita, quod nullo modo poterat ambulare, ad locum quemdam, quo fratrem Gratianum applicuisse cognoverat, se fecit deportari. Cumque signum crucis in loco doloris sibi fieri postulasset, dictus frater coram adstantibus eum humiliter consignavit. Petiit insuper dictus aeger, ut lavarentur sibi pedes aqua ipsa, qua loti fuerant pedes fratris; quod cum factum fuisset, recessit illico sic curatus, quod dicti doloris nunquam deinceps aliquam senserit passionem.

5. Vir quidam de Castro Castagneti [a], cum x annorum spatio ita contractus exsisteret, quod de lecto surgere non valeret, ad locum fratrum de Auximo deportatus advenit. Qui cum fratrem Gratianum, ut sibi manus imponeret, efficaciter postulasset, assumpta manu eius, dictus frater,

---

[a] C *Castangeti.*

ut surgeret, hortabatur. Confestim per ipsius * merita vir erectus ad [a] episcopatum Auximi pedibus propriis est reversus, et ad Dei gloriam tam cognitis quam ignotis factum in se miraculum divulgavit. * *f. 97r*

6. Puer quidam de Castro Ficardi, cum utroque lumine orbatus exsisteret, fratri Gratiano praesentatus a patre, videntibus multis qui adstabant, facto signo crucis super oculis ipsius, lumen perditum reaccepit.

7. Item puer alius oculorum officio totaliter destitutus ad fratrem Gratianum, dum adhuc viveret, est perductus; qui cum signum crucis caecis oculis impressisset, puer illico lumen caeli [b] videre promeruit, ut petivit, ita quod coram multis qui adstabant, per foramen acus filum [c] mitteret manu sua.

8. Apud Auximum puer quidam, cum contractis et clausis manibus natus foret, ad sepulcrum fratris Gratiani deductus, per eiusdem merita manus aperuit in instanti et, praesentibus fratribus nostri Ordinis qui adstabant, manus suas extendit protinus et contraxit tanquam sanitati debitae [d] restitutus.

---

[a] C om. [b] C *ceci.* [c] C *filium.* [d] L *debite.*

9. Item mulier quaedam de dioecesi auximana, *f. 97v cum in die * festo contra vetitum laborasset, subito brachium eius divino iudicio est contractum. Quae ad tumulum dicti fratris accedens, invocato praesidio, confestim restitutionem meruit manus suae.

10. Item mulier altera auximana, cum manus ambas contractas haberet ita, quod nihil omnino poterat operari, ad sepulcrum dicti fratris adducta, cum [a] ibidem modico tempore perstitisset, sana protinus et incolumis per ipsius suffragia remeavit in sua.

11. Apud Trabem Bonantis, cum die quadam [b] frater Gratianus populo, qui convenerat, praedicaret, coeperunt fulgura coruscare et audiri tonitrua valde magna, ventus quoque turbinis imbre mixtus cito irruit super eos, ita quod [c] viri qui convenerant, a loco fugere festinarent. Frater vero Gratianus advocans fugientes fiducialiter dixit eis: « Nolite fugere, fratres mei, quia tempus congruum verbo suo Dominus illico providebit ». Orante autem ipso, in partes duas, videntibus et mirantibus omnibus, pluvia se divisit et, quantum iactus est lapidis retrocedens,

---

[a] L om. [b] L *quodam*. [c] C om.

omnino non tetigit assi-*stentes; sed et super multitudinem hominum in loco praedicationis sedentium sol splendebat ita, quod viri et feminae haec [a] videntes divinae virtuti adscriberent quod fiebat [1]. *f. 98r

Auditor. Manifeste videtur impletum quod voce Iacobi [2] dicitur: *Multum valet deprecatio iusti assidua.* Nam, cum tempestates etiam voci hominis obediunt, virtutem multam sanctorum precibus inesse declarant.

Narrator. Cum universa propter hominem fecerit Dominus et ipsius nutui cuncta subiecerit ab initio quae creavit, constat quia, si in bono obedientiae perstitisset, inferiora sibi omnia subiecta pariter obedirent. Nunc vero quia Conditori suo inobediens exstitit, potestatem in infima iuste perdidit, quam accepit. Si ergo iusti ad antiquam primae sortis dignitatem desideriis anhelantes sui libertatem arbitrii divinae conformant pro viribus voluntati, quid mirum si ipsis etiam elementis imperant aut si vicissitudines [b] temporum

---

[a] L *hoc.* [b] *vicissitudinem.*

---

[1] Omnino simile miraculum S. Antonio tribuit Ioannes Rigaldi, *Vita S. Ant.*, c. 8. Cf. S. Gregorius, *Dial.* II, c. 12 (Migne, PL 77, 241). [2] Iac. V, 16.

voluntati obtemperant quodammodo deiformi? Virtus namque orationis electorum ab Ipso ef-
* f. 98v fica-*ciam suscipit, cuius certe voluntati militat quidquid utiliter sive iuste fieri iidem [a] sancti peroptant. Sic nempe Moyses ad sui liberationem populi mare rubrum oratione sua vertit in siccum et super Aegyptios insequentes iusto valde iudicio aquas denuo revocavit [1]; sic nimirum Amalecitas non tam armis quam precibus expugnavit [2]; sic frequenter minatam [b] a Deo durae cervicis populo pestilentiam, saepe vero mortem, orans advertit. Iosue quoque de gentibus iussu Domini expetens ultionem spatio diei unius solem et lunam caeli medio prece detinuit [3]; Gedeon in signum liberandi populi Israelis rore vellus infudit ac rursum sicco vellere circumstantem terram irroravit [4]. Sic Samuel idolatrarum labia orationis suae diiudicatione conclusit, sic pluvias et tonitrua messis [c] tempore invocatione sua e caelo dimisit [5]; sic Elias in verbo divino annis tribus et VI mensibus ne super terram plueret caelis continuit, et iterata prece obtinuit ut imbrem mitteret et

[a] C *dum.* [b] C *mitntam.* [c] C *tronitrua mensis.*

[1] Exod. XIV, 21 sq. [2] Exod. XVII, 9 sq. [3] Ios. X, 12 sq. [4] Iudic. VI, 37 sq. [5] I Reg. VII, 5 sq. et XII, 18.

terra fructum debitum ger-*minaret [1], filium quo- *f. 99r
que mulieris viduae orationis instantia revocavit ab inferis [2] et cadere ignem saepe depoposcit [a] de caelo [3]. Sic et spiritum duplicem conscendentis [b] magistri precibus Eliseus obtinuit [4], ut videlicet prophetiam et faciendi miracula reciperet potestatem; sic et filium Sunamitis a morte corporis precibus suscitavit et persequentes se Syros aurisia caecutiente percussit [5]. Ezechias denique annos XV vitae suae orans adiecit et solem decem lineis iam decursis ad orientem redire coëgit [6]. Sic Tobias senior oratione depulit caecitatem, et Sara filia Raguelis sterilitatis sibi opprobrium amputavit [7]. Sic tres pueri in fornace conclusi oratione sua ignis impetum exstinxerunt, et vir desideriorum Daniel ora leonum ne se tangerent obturavit, liberationem quoque gentis suae precis instantia impetravit; sic Susanna mortis sententiam orationis scuto declinans sacerdotes impudi-

[a] C *deposuit.* [b] C *conscendens.*

[1] III Reg. XVII 1 et XVIII. 42 sq. Cf. Luc. IV, 25. [2] III Reg. XVII, 17 sq. [3] III Reg. XVIII, 38 et IV Reg. I, 12. [4] IV Reg. II, 9 sq. [5] IV Reg. IV, 32 sq. et VI, 18. [6] IV Reg. XX, 6 et 9 sq. [7] Tob. XII, 8 sq. et VIII, 3 sq.

cos, convincente propheta, legi talionis addixit[1]. Sic Iudith ignorantiam populi tentatoris oratio-
*f. 99v nibus expiat et superbi Holofer-*nis caput pugione trucidat[2]. Sic Esther imminentem civibus plagam precibus amovet et inimicum gentis suae Aman ligno suspendit; Machabaei quoque furorem hostium orationis humilitate prosternunt[3]. Sic et Petrus Aeneam paralyticum oratione restituit, sic Tabitham a mortis vinculis revocavit; Paulus quoque Elymam magum temporali caecitate damnavit et Eutychum dormitantem corporali morte praeventum aeque precibus suscitavit[4]. Quid per singula sancti Evangelii testimonia replicando discurram, cum paene nusquam mirandum aliquid absque deprecationis instantia compleatur, ut magister unus Christus Dominus omnia nostra precibus nos praevenire admonet: *Petite*, inquiens[5], et accipietis, *quaerite et invenietis, pulsate et aperietur vobis*? videlicet virtutem nobis et utilitatem pariter orationis insinuans, paratam insuper suae beneficentiae largitatem declarans, nos desidiae arguit non pe-

[1] Dan. III, 23sq.; VI, 16sq.; IX et XIII. [2] Iudith, VIII et XIII. [3] Esther, IV, 16; et VII, 9sg. I Mac. VII, 36; II Mac. VIII, 2sq. [4] Act. IX, 33sq.; XIII, 8sq.; XX, 9sq. [5] Matth. VII, 7.

tentes et promissione certa confortat, quod quidquid sicut oportet petierimus, nisi per nos steterit, consequemur. * * f. 100r

De fratre Matthaeo de Narnio [1].

Auditor. De fratre Matthaeo narniensi, viro utique inter fratres virtutibus [a] approbato, velim mihi, si qua [b] noveris, enarrari, quem nimirum constat mirae sanctitatis insigniis effulsisse.

Narrator. Multa quidem ipsius gesta me memini audivisse, sed pauca quaedam a fratribus intellecta commemorans, sicut postulas, ecce narrabo.

1. Frater [c] namque Concordius, annorum trium spatio paralysi resolutus, toto corpore inutilis adeo est effectus [d], quod ad omnia naturae vel moris officia cum gravamine multo fratrum continue manibus portabatur. Qui cum die quadam ad dicti fratris tumulum deportatus fuisset, mi-

[a] C *virtibus.* [b] L *quae.* [c] C praem. rubr. *De paralitico.* [d] C *infectus.*

[1] Fuit iste Matthaeus Ordinis vicarius cum fr. Gregorio de Neapoli, quando S. Franciscus ad Aegyptum perrexit (1219). Cf. Iordanus de Iano, *Chronica,* n. 11.

sericordiam flagitans tanta protinus velocitate convaluit, ut coram fratribus qui adstabant illico surgeret, manus quoque et membra cetera ad nutum duceret voluntatis ac pedibus propriis ambularet.

2. Matrona quaedam nobilissima narniensis, cum a rure rediens ad propria pervenisset, urenti vento ita horribiliter est percussa, quod excocta superficie vultus eius, pellis flueret desiccata. Non valens igitur mulier prae dolore quiescere
* *f. 100v* vel dormire, totam fletibus et clamoribus * familiam perturbabat. Reminiscens autem sanctitatis et meriti dicti fratris, eidem humiliter se devovit in praesentia domus suae; facto ergo mane, ita meritis ipsius totaliter exstitit liberata, quod nequaquam exustionis dictae signa in eius corpore apparerent.

3. Ugolinus quidam de civitate Narnii, cum annorum x spatio paralysi laborasset, fratri Matthaeo devotione [a] supplici se commendans, sequenti nocte in lecto aegritudinis dormiens vidit eum vernantem rosam in manibus deferentem; quam cum super membra paralytica ungentis [b] more, ut sibi visum est, suaviter traduxisset,

---

[a] C *devotioni.* [b] C *ingenti.*

illucescente die surrexit homo solidatus a stratu suo, accurrensque cum gaudio ad sepulcrum fratris pro [a] liberatione sua munera obtulit grata Deo.

4. Mulier quaedam de castro Layae, cum multo tempore paralytica exstitisset, ad sepulcrum viri Dei super asinum est deducta; ubi cum sanitatis gratiam tempore modico imploraret, in praesentia fratrum et saecularium illico consolidata consurgens, locum fratrum prae gaudio circuibat laudes Deo debitas persolvendo. * * *f. 101r*

5. Item [b] mulier alia vexatione daemonum durissime fatigata, deducentibus caris eius, ad dicti fratris tumulum religata pervenit. Cumque coram tumulo stridoribus nimiis exclamaret, binda eius a capite casu cecidit, in qua scabro teterrimus ab adstantibus est inventus; ipsa quoque mulier recidens super terram cum quiete [c] magna coepit suaviter obdormire. Evigilans autem denique post soporem optime liberata recessit; quod videntes fratres, qui aderant, coeperunt laudes Domino [d] debitas personare.

6. In civitate Narnii domina quaedam apostemate ac febre pariter cruciata medicorum iuva-

---

[a] C om. [b] C praem. rubr. *De demoniaco;* inferius, ad 6, *De apostemate.* [c] C *quieta.* [d] C bis *Domino.*

mine desperata est, eo quod sequenti die communi iudicio crederetur ab omnibus moritura. At ipsa, cum se fratri Matthaeo suppliciter devovisset, eadem nocte vidit fratrem in somnis loquentem sibi, qui eam iussit super locum apostematis decubare. Mane autem facto, cum ipsius exitum omnes proximi exspectarent, inventa est mulier ab utroque gravamine per eiusdem me-
* *f. 101v* rita totaliter liberata. *

7. Iuvenis quidam, nomine Marcoardus, os ad collum usque gerens monstruose retortum [a], supradicti fratris suffragium invocans coram eius tumulo se prostravit; ubi cum modico temporis spatio perstitisset, os eius illico ipsius meritis ad statum rediit condecentem.

8. Simile aliquid contigit iuveni alteri de civitate narniensi, qui cum in vinea sua excubans dormitasset, expergefactus invenit os suum miserabiliter obliquatum. Mater vero eius hoc intuens, coepit fortiter exclamare: « Sancte Matthaee! te deprecor, ut filium meum liberare digneris »; confugiensque cum filio ad sepulcrum eius, videntibus illico qui adstabant, restitutionem filii meruit obtinere ita, quod puer Deo laudes voce altisona concreparet.

[a] C *rettortum*, L *retrorsum*.

9. Matrona quaedam narniensis, cum deambularet in solario domus suae, ita graviter cecidit, quod crus eius penitus est confractum. Ad quam cum venisset medicus quidam, Gregorius Cyterhii nomine, et fracturam sollicite perspexisset, propter intemperiem aëris incumbentem * * *f. 102r* medicamenta vulneri distulit adhibere, quousque visitato beati Francisci tumulo ex voto, quod habuerat, Narnium [a] remearet. Mulier vero non mediocriter cruciata fratri Matthaeo suppliciter interim [b] se devovit et allatas sibi reliquias dicti fratris, quas habebat, vulneri applicavit. Quibus ita gestis, praesentibus fratribus quos ad sui consolationem vocari fecerat, mox surrexit et, per domicilium huc illucque deambulans, revertenti medico factum in se miraculum enarravit.

Auditor. Claret satis quam superflue medicos saepe conducimus corporales, quandoquidem, Veritate testante [1], *omnia possibilia sunt credenti,* sicut etiam videtur in muliere proposita contigisse.

---

[a] C *quod Narnium ex voto habuerat* pro *e. v. q. h. N.*
[b] C *iterum.*

---

[1] Marc. IX, 22.

Narrator. Licet iuxta Salvatoris edictum [a] fidei merito suscipiendae gratiae possibilitas multa conveniat, quam nonnunquam ex causa certa et ordine temporum, operante Deo, fideles quique semetipsis impartitam sentiunt aut ministerio etiam cooperationis aliis administrant, non tamen superflue, sicut extimas, super infirmitatum curis medicinae peritos saepe consulimus, eorum no-
* *f. 102v* bis operas necessarias * conducentes; quippe cum Christi beneficio artis suae ratione physica complexiones hominum et causas diiudicare valeant passionum, quibus agnitis, multa nobis utilia et eorum contraria persuadere vel dissuadere necessario potentes sunt, ac medicinis congruentibus ad sanitatis habitum praeparare. Alioquin enim spretis certe remediis quae naturis Deus indidit humani generis ad profectum et a Deo per [b] fidei meritum salutem quaerere, non tam Ipsum fidei pietate colere est quam tentare. Unde scriptum est [1]: *Altissimus de terra creavit medicinam, et vir sapiens non abhorrebit eam.* Si ergo Deus terrae nascentibus ad utilitatem hominum virtutem contulit medicinae, insipientiae [c] aut prae-

[a] C *editum.* [b] C om. [c] C *insapientie.*

[1] Eccli. XXXVIII, 4; sequitur XXXVIII, 1.

sumptionis typus esset [a] eam, ut diximus, abhorrere. Hinc etiam per eumdem dicitur Sapientem [b]: *Honora medicum propter necessitatem, etenim illum creavit Altissimus; et non discedat a te, quia opera eius necessaria sunt tibi.* Medicum namque honorare est laboribus et impensis aegrotantibus nobis exhibitis temporali beneficio respondere. Qui et iuxta [c] Sapientis monita nequaquam a nobis proposito dimittendus [d] est, quin ad eum necessitatis tempore * recurramus, quia * *f. 103r* tunc demum ad potentis fidei merita et orationum suffragia pro sanitatis gratia recurrendum, quando scilicet ars non invenit aut natura non efficit quod sincera fidei pietas in Auctorem praesumit. Sic enim Scriptura dicit [1]: *Cum ignoremus quid agere debeamus, hoc solum habemus residui ut oculos nostros dirigamus ad te.* Quamdiu namque humana fragilitas in inferioribus habet quod agat, temerarium valde est, fidei propriae aut alienae meritis innitendo, causarum superiorum experimentum sumere aut divinae gratiae libertatem humanae praesumptionis arbitrio coarctare; quamvis tamen recte iusti sive etiam

[a] C om. [b] C om. [c] C *iusta*. [d] C *dimittendum*.

[1] II Par. XX, 12.

peccatores ante necessitatem ultimam ad refugium nominis Salvatoris et sanctorum suffragia plerumque recurrunt, dum id sicut diximus non typo praesumptionis fidei aut meritorum etiam dignitate, sed sola Dei bonitate ac sanctorum meritis, prece humili quod intendunt obtinere confidant.

Auditor. Magna certe, ut audio, cautela discretionis intellectus indiget Scripturarum, ut in unam fidei regulam singula quaeque concurrant, quae sparsim edita per campos Scripturarum a
* *f. 103v* nonnullis sibi dissona reputantur. At nunc * ergo ignorantiae meae parcens ad ulteriora rogo procedere, et quod promissioni tuae superesse cognoveris, mihi solvere non graveris.

De fratre Rogerio, qui requiescit Tuderti.

Narrator. 1. Sabina, uxor Petri Bonifilii de Forgnola, cum annos duos infirmitate gravissima laboraret, crescente tandem [a] aegritudine ad insaniam deducta est; stridebat enim horribiliter mutans voces et singultus continuos exspirabat. Veniens igitur ad sepulcrum fratris Rogerii in

[a] C *tamen*.

Tuderto, per eiusdem merita pristinae reddita est sanitati.

2. Alia quoque mulier de villa Sancti Blasii, Verzera nomine, iuramento firmavit quod, cum trium annorum et dimidii spatio illusione daemonum molestata fratris tandem Rogerii auxilium invocasset, ipsius meritis totaliter liberata, nullam deinceps aegritudinis memoratae pertulit passionem.

3. Maria Ioannis Berardi de castro Megii, cum passione frenetica laboraret, caput suum palmis caedere, pectus tundere, vestes quoque non destitit laniare. Ductu igitur viri sui ad sepulcrum * fratris dicti perveniens, stridore mirabili quandoque latrabat ut canis, modo vero more bovum altissime mugiebat. Sed cum denique fatigata coram tumulo paululum dormiens quievisset, ipsius meritis continuo liberata, dignas Deo gratiarum retulit actiones. * *f. 104r*

4. Ferracellus [a] quidam tudertinus habens oculum tela quadam ac pupillam albugine sic obsessam, quod nihil omnino viderat per tres annos, coram tumulo dicti fratris humiliter constitutus diu perditum lumen obtinuit [b], ut testan-

---

[a] C praem. rubr. *De cecis.* [b] C *obtuit.*

tur, qui orbatum luce viderant et postea restitutum.

5. Puer quidam, nomine Valentinus, annis v sinistri oculi lumine destitutus, ad sepulcrum sancti fratris adveniens coram multitudine populi, qui convenerant, illico est curatus.

6. Puella quaedam tudertina, Maria nomine, mensibus xi in sinistro oculo fistula praegravata, incessanter ab ipso saniem emittebat. Ducta igitur a parentibus ad sepulcrum fratris Rogerii, patre ac matre praesentibus multisque aliis, per
* *f. 104v* eiusdem merita optime liberata recessit. *

7. Polus [a] Georgii Bancotelli, cum annorum quinque spatio surdus et nihil omnino audiens perstitisset, ad sepulcrum dicti fratris accedens incontinenti diu perditum recuperavit auditum.

8. Martinus de Pratolongo iuratus asseruit quod, cum Martinus eius filius paralyticus exstitisset, loquelam perdidit atque [b] dextri brachii usu totaliter est privatus. Quem cum fratri Rogerio devovisset, per ipsius merita dictus filius [c] membrorum consolidationem obtinuit et loquelam.

9. Frater Conservus mulierem quamdam se vidisse testatus est, quae paralysi dissoluta, tem-

---

[a] C praem. rubr. *De surdo;* inferius, ad 8, *De paraliticis;* ad 11, *De contractis.* [b] C add. *et.* [c] CL om.

pore obitus dicti fratris ad sepulcrum eius veniens, cum affectu [a] multo et lacrimis misericordiam postulabat. Ubi cum in oratione tempore modico permansisset, praesente ipso et religiosis aliis ac saecularibus, per sanctissimi fratris merita recessit optime liberata.

10. Sanctia mulier a cunabulis clauda permanens et contracta ita, quod retortis pedibus manibusque conclusis, os turpiter obliquaret, die transitus * fratris Rogerii ad sepulcrum eius * *f. 105r* hora veniens [b] vespertina, sequenti nocte multis praesentibus optime restituta est.

11. Frater Simon de Narnio protestatus asseruit se vidisse iuvenem quemdam a matris utero claudicantem, qui ad tumulum dicti fratris accedens ita convaluit in momento, quod videntibus tribus fratribus ac saecularibus aliis, qui adstabant, idem iuvenis exsiliret laudans Deum [c] et benedicens servum eius, cuius meritis concupitam obtinere promeruit sanitatem.

12. Dialta, uxor Bonapressi Rupeti de Tuderto, cum annos plurimos exsisteret inclinata et a cingulo infra membris omnibus destituta, deducentibus caris eius ad sepulcrum dicti fratris,

---

[a] C *effectu.* [b] C bis *veniens.* [c] L *Dominum.*

per eiusdem merita desideratae salutis gratiam totaliter est adepta.

13. Sibilia de Aqua Laureti per annos octodecim incurvata, fistula [a] quoque in renibus aggravata, nequaquam per se surgere poterat aut distendere membra sua. Veniens igitur ad sepulcrum fratris Rogerii confestim ita plene convaluit ut, videntibus sociis qui venerant cum ea- * *f. 105v* dem, * erecta distenderet corpus suum, per se surgeret atque staret.

14. Laetitia Tudini filia de Tuderto, cum genua per triennium ad gulam usque complicita, pedes quoque distortos haberet, ad sepulcrum dicti fratris ducta pervenit; ubi cum aliquantulum commorata sanitatis gratiam imploraret, illico pedes et genua simul extendit, et peroptime liberata Deo ac fratri sanctissimo grates exsolvendo recessit.

15. Gualfredutia Philippi, pedum ac sinistrae manus officio ab annis VIII totaliter destituta, coram tumulo dicti fratris ita convaluit, quod vadens et rediens coram multis incederet usquequaque.

16. Magister Paulus testimonio veritatis asseruit coram multis, quod, cum infirmitate gra-

---

[a] C *festula.*

vatus nulla posset ratione quiescere vel dormire, somniavit se tria corpora sphaerica ad modum barilium habere disposita circumquaque, ita, quod quocumque se verteret, requiescere non valebat. In ipso autem somnio dictus frater apparuit et ait: « Vis liberari, magister Paule? » Qui respondit: « Volo ». « Tene, inquit, quod te quiescere non sinebat ». * Excitatus autem a somno cochlear * *f. 106r* argenteum invenit in manu sua, quod se habere dicit in praesenti; moxque tanta velocitate convaluit, ut nullam deinceps dictae passionis molestiam senserit aut gravamen.

Auditor. Narrationi tuae Salvatoris illa sententia apte satis convenire videtur, qua divitias huius mundi, Evangelio teste [1], *spinarum* nomine appellavit.

Narrator. Verba veritatis, licet mundi amatoribus et carnaliter sapientibus deliramentis similia videantur, ipso tamen rerum exitu absque interpretis alieni expositione se vera fore confirmant, et quam recte iuxta [a] similitudinem *spinarum* nomen acceperint divitiae mundi huius ex curarum compunctione multiplici et mentis in-

[a] C om.

[1] Matth. XIII, 22, et Luc. VIII, 14.

quietudine quam diverberant, luce clarius manifestant. Hinc enim de conquisitore pecuniae pariter et amatore per Salomonem dicitur [1]: *Cuncti dies laboribus et aerumnis pleni sunt, nec per noctem mente requiescit.* Licet quippe *diei* [a] ad explenda peccantium desideria *malitia sua sufficiat* [2], noctis tamen tempore duplicatur avaro
* *f. 106v* sollicitudinis cura turbatior pro quiete ut, * aliis somni saltem beneficio quiescentibus post laborem, ipsum iuste timor depraedationis excruciet, qui cor suum rebus transitoriis supra modum immersit. Unde scriptum est [3]: *Sonitus terroris in auribus eius, et cum pax fuerit, insidias suspicatur.* Ex affectionis nempe [b] vehementia qua dilectis rebus inhaesit, perditionis imaginatio tristior tinnitum suscitat in auditu, ut nonnunquam muris transitum irruptionem [c] extimet fore praedonum. Pacis quoque et securitatis tempore suspicione superflua stimulatus, nemine persequente, violentiam meditatur in corde. Si vel raro de supernis aliquid in transitu cogitat, subito pervasoris insidias extimescens ad solitas conservan-

[a] C *die.* [b] C *neppe.* [c] C *inruptione.*

[1] Eccl. II, 23. [2] Matth. VI, 34. [3] Iob XV, 21.

dae pecuniae curas superfluas mens recurrit. *Ubi est* enim *thesaurus* eius, *ibi* necesse *est et cor* ipsum [1] quasi in loco quietis suae pariter commanere.

Quod quoque delicias ipsas carnalium hominum nisi *spinas* recte vocaverim, quae quamvis habitae delectabiliter gustum carnis afficiant: nunquam enim concupiscentiae quam irritant sufficientiam aliquam administrant; sed dum voluptati noxiae cura carnis in desiderio sata-*git, * *f. 107r* ipsi sibi molestias generat, quia fragilitatem [a] naturae congruam superfluitate [b] conturbans ipsas certe delicias in tormenta pervertit. Unde recte per Sapientem frugis [c] pariter et luxuriosi causa discernitur, cum parcitatis praemium in praesenti etiam ac poena superflui demonstratur. Ait enim [2]: *Vigilia, colera et tortura homini infrunito, somnus* [d] *sanitatis in homine parco.* Superfluitatis namque crapula digestionem impedit stomachi, ex qua necesse est fumositates noxias et humores pariter crudos generari. Ac per hoc

---

[a] C *flagilitatem.* [b] C *superfluitatem.* [c] C *frugi.* [d] C *somno.*

---

[1] Matth. VI, 21. [2] Eccli. XXXI, 23 sq.

quoque coleram et torturas alias intemperantis corpus quietis tempore merito sustinet, ut ex poena sequenti sensibiliter videat quam noxie sibimet carnali satagerit voluptati. Quam nimirum pestilentiam iuste parcus evadit, qui [a] iustae [b] necessitati, non negotio voluptatis indulget. Liquet ergo, quam congrue divitias et delicias Salvator spinis aequaverit, quae [c] profecto plus habitae sectatores suos innumerabili caede cruentant.

Auditor. Placet valde, quod dicis, sed adhuc
* *f. 107v* postulo, quod procedas ac me solito nar-*rationis tuae ordine consoleris.

De fratre Paulo de Marchia [1].

Narrator. 1. Rosa, filia Ioannis, cum VII^em^ esset annorum, infirmitate gravissima laborabat ita, quod a multis daemoniaca crederetur. Asserebat enim, quod tres nigri humanam speciem praeferentes eam graviter affligebant [d]. Unde, cum

---

[a] C om. [b] C *iuxta.* [c] C *qua.* [d] C *affligebat.*

---

[1] Is erat minister provincialis in Marchia Anconitana (1223-1224). Cf. I Cel. n. 77-79; *Miscell. francesc.*, X (1906), p. 17sq.; AFH V, 200.

paterno limine [a] teneretur, libenter se in locis arctissimis abscondebat; quando vero effugere poterat manus eius, per sepes et rupes, per deserta et invia discurrebat; cum autem ad ecclesias duceretur, spiritualia [b] omnia penitus abhorrebat, dicebatque quod Paulus quidam, et non alius, ipsam liberare debebat. Porro pater hoc audiens ad ecclesiam Sancti Pauli deducebat eam; sed cum ibidem exsisteret, dixit patri: « Non hic Paulus, de quo dixi, sed alter, qui longe abest, ipse me curabit ». Ducta igitur ad monasterium Salvatoris, ubi quaedam erant reliquiae servi Dei, cum super eam dictae reliquiae ponerentur, continuo pristinam obtinere promeruit sanitatem.

2. Deotama quaedam, soror monasterii Salvatoris, cum dolores intolerabiles in manibus et pedibus * pateretur, adhibitis sibi reliquiis viri Dei, * *f. 108r* quae in monasterio habebantur, sine mora plenariam consecuta salutem, Deo et fratri Paulo gratiarum laudes exsolvere satagebat.

3. Domina [c] Blanzaflor, uxor Marcoaldi de Sancto Angelo, cum multo tempore vitio lapidis et aliarum aegritudinum gravissime torqueretur,

---

[a] C *paterna limina.* [b] L *spiritualia.* [c] C praem. rubr. *De vitio lapidis.*

ad sepulcrum fratris Pauli deducta, per ipsius merita integram illico consecuta est salutem.

4. Flora, Alberti Barili filia de Monte Melonis, multo tempore oculorum lumine destituta, ductu quarumdam dominarum ad tumulum viri Dei gratia sanitatis accessit; ubi, cum in oratione misericordiam postulans perstitisset, lumen perditum reaccepit.

5. Berta, filia Bentivolii [a] de Camerino, cum loquelam diutius amisisset, cum sorore sua, Bona nomine, ad sepulcrum fratris Pauli supplex et devota venit; cumque coram tumulo aliquamdiu commorata fuisset, subito loqui coepit laudans Deum [b] et benedicens sanctum eius.

6. Vir quidam de Monte Ciari, cum pedes et manus haberet paralysi dissolutas in tantum, * *f. 108v* quod nec manum poterat * ducere ad os suum aut etiam ambulare, ductus ad tumulum fratris Pauli, per ipsius merita mox erectus et incolumis ad propria remeavit [c].

7. Ioannes quidam de Monte Ulmi, cum multo tempore pedum foret officio destitutus in tantum, quod nec baculo sustentatus incedere poterat ullo modo, ad corpus fratris Pauli, dum adhuc

---

[a] C *Bentivolo.* [b] L *Dominum.* [c] C *remavit*

exsisteret insepultum, super asinum deportatus accessit; cumque coram funere constitutus humiliter sanitatis gratiam postularet, dicti fratris meritis pedum gressibus restitutus, qui portatus advenerat, recedebat.

8. Bonus Ioannes de miraculorum veritate iuratus asseruit, quod, cum crure sinistro ab infantia contractus exstitisset, morbo insuper epileptico gravissime laboraret, ad sepulcrum fratris Pauli veniens et ibidem in oratione persistens, mox distento crure surrexit et, ab illo tempore totaliter liberatus, nunquam deinceps epilepticam pertulit passionem.

Auditor. Magna certe divinae bonitatis ostensio in tam facili diversarum passionum cura relucet; sed non minor forte utilitas in earum inflictione pecca-*toribus haec videntibus ministra- * *f. 109r*
tur, quia pauci admodum Deum offendere formidarent, nisi passione corporali aut etiam metu mortis, quam nemo potest effugere, terrerentur.

Narrator. Immensa plane bonitas Dei nostri ad miserendum multiplex et artifex ad salutem miro valde revocationis ad se utitur argumento, dum non solum in *spiritu mansuetudinis* [1], sed

[1] 1 Cor. IV, 21; inferius Ps. LXXVIII, 13.

et virga correptionis ad se *oves pascuae* suae congregat et reversas in virtute conservat. Ut enim pervicaciam hominum, qui non nisi verberibus emendantur, emolliat et invitet quodammodo fugientes, quandoque nos propriis passionibus excitat quas infligit, nonnunquam vero miseriis alienis castigat et erudit obstinatos. De propriis namque calamitatibus, quas immittit ut nos misericorditer revocet ad seipsum, per prophetam [1] dicit: *Ego sepiam viam tuam spinis et sepiam eam maceria* [a]. Quia enim saepe post concupiscentias nostras nos conspicit abeuntes, spinis tribulationum spiritualium cor compungit interius et maceria corporalium passionum viam exterius obstruit peccatorum, ut videlicet poenis ipsis edocti, dulcedinem gratiae et * peccati amaritudinem experimento sensibili cognoscentes, ad ipsum denique vel inviti salubriter revertamur. Unde et in persona poenitentium recte subiungitur: *Vadam et revertar ad virum meum priorem, quia bene erat mihi tunc magis quam nunc.* De miseriis quoque alienis, quarum cognitione nos revocat, Iob sic ait [2]: *Propter super-*

* *f. 109v*

[a] C *maceriam.*

[1] Ose. II, 6 sq. Cf. I Cel. n. 3. [2] Iob X, 16.

biam quasi leaenam [a] *capies me reversusque mirabiliter* [b] *me crucias.* Leaena namque superbiens cum ab impetu viae suae nequaquam potest verberibus mitigari, ostensa sibi catuli flagellatione deponit animi feritatem, ut quae passione proprii corporis ad humilitatem duci non potuit, alienis saltem flagellis territa mirabiliter [c] inclinetur. Quasi ergo leaena peccator quisque superbiens capitur, cum, licet propriis tribulationibus non recipiat disciplinam, conspectis tamen calamitatibus alienis ad poenitentiam emendatur. Hinc rursus per Salomonem dicitur [1]: *Per agrum pigri hominis transivi et per vineam viri stulti, et ecce totum repleverant urticae, superficiem eius spinae, et maceria lapidum destructa erat, et po-*sui in corde meo et exemplo didici disciplinam.* Pigri nempe ac stulti nomine peccator exprimitur, qui ad excolendos vineae [d] fructus in praesenti vita quasi sub hiemis algore torpescit ac stultitiae suae indices manus operis nil agendo sic complicat, ut aeternae retributionis aestate

* f. 110r

[a] C *leena.* [b] C *miserabiliter.* [c] C *miserabiliter.* [d] C *vite.*

[1] Prov. XXIV, 30 sq.

fatuarum [a] virginum more mendicans [1], sicut vacuus exstitit opere, sic divino iudicante careat et mercede. Cuius profecto agrum corporis urticae prurientium obsident passionum, mentis quoque vineam [b] spinae pungentium cogitationum a fructu iustitiae spiritalis exterminant, quia peccatis exsistentibus aerumnis exterioribus et angustiis interioribus in praesenti vita peccator comprimitur: in quo certe maceria spiritalis custodiae dissipatur. Sed nimirum ad haec visa vir sapiens ad suscipiendam proficit disciplinam, quia dum poenas quas praediximus quasi iusta stipendia peccati inflicta considerat, ex exemplo correptionis attentae in altero quam utiliter sibi
* *f. 110v* quisque fidelium declinet a peccato concludit [c]. *
Unde scriptum est [2]: *Pestilente flagellato* [d] *sapientior erit parvulus* [e].

Auditor. Licet saepe a narrationis tuae cursu per mea verba te cogam deflectere, tamen tuis responsionibus utiliter saginatus fructum [f] mihi collationis huius duplicari conspicio, dum non solum gestorum seriem, verum etiam te docente

---

[a] C *statuarum.* [b] *vinea.* [c] C om. [d] C *flagello.* [e] C *pavulus.* [f] C *fructu.*

---

[1] Cf. Matth. XXV, 1sq. [2] Prov. XIX, 25.

subtiliter rerum significationes attendo. Verum ne superfluis te quaestionibus inutiliter onerem, cum placuerit semper coeptis insistere [a], loquacitatem meam collationis ordinem prosequens intercide.

De fratre [b] Hermanno Fulginate [c].

Narrator [d]. **1.** Bonaventura Florentii duorum ferme annorum spatio exstitit sic contractus, quod nequaquam de lecto surgere poterat vel moveri. Hic cum vespere quodam ad sepulcrum fratris Hermanni se fecisset in grabato a consanguineis deportari, illico per eius merita, consanguineis et aliis pluribus intuentibus, taliter est curatus, quod datis sibi cipellis in pedibus, coram multitudine civitatis Fulginei incederet usquequaque. * * *f. 111r*

2. Iuncta quidam nomine, de Fulgineo, duorum annorum [e] spatio contractas habens tibias et natibus adhaerentes, cogente inedia manibus reptans super terram publice mendicabat. Qui cum ad praedicti fratris tumulum fiducialiter accessisset, oratione fusa confestim ita [f] convaluit

---

[a] C *insisteret.* [b] C *B.* pro *f.* [c] Titulus est a manu recenti. [d] L om. [e] C om. [f] C om.

quod distentis tibiis restitutus libere pergeret, quo volebat.

3. Puella [a] quaedam, Correcti filia de Fulgineo, cum a multo tempore tibias atque pedes haberet monstruose contortos, persuadente quadam ipsius amita, dicti fratris ad tumulum se pertraxit; ubi cum paululum quievisset, coepit famescere atque cibum ab amita postulare. Cui cum mulier semel et iterum responderet: « Surge, et ibimus ad prandendum », mox distentis tibiis et pedibus reparatis, puella surrexit et, praesentans se coram episcopo civitatis, pedibus propriis ad paterna limina remeavit.

4. Bonafemina nomine, de Fulgineo, cum porrorum olera comedisset, os unum cum oleribus
* *f. 111v* absorbuit ignoranter; quod cum ad introitum * gutturis pervenisset, oesophagum ita totaliter obturavit, ut sermone [b] penitus se statim crederet exstinguendam. Fratris igitur Hermanni subsidio corde suppliciter invocato, visum est sibi, quod quidam ipsam pugno percuteret in cervice ita, quod os dictum a meatu gutturis exsiluit, quod et manu propria in signum gratiae ad fratris tumulum deportavit.

---

[a] C *Puelle.* [b] L *sincere.*

5. Vir quidam de castro Trebii, Petronus nomine, cum in ecclesia Sancti Feliciani apud Fulgineum laboraret ad compositionem fabricae supradictae, lignum quoddam cum sociis instrumento, quod aspus dicitur, elevabat. Cumque prae gravitate ponderis, quod trahebant, unus ex sociis defecisset, dimissum aspi brachiolum ab eodem dictum Petronum graviter impulit ac rotando super muri fabricam ipsum violenter proiecit; inde vero sexaginta pedum altitudine corruens super terram, putabatur ab omnibus irremediabiliter conquassatus. Ad quem cum singuli ululatu multo ac strepitu concurrissent, qui ceciderat sic respondit: « Nolite flere super me, quia nullum in * meo corpore sentio laesionem; * *f. 112r* nam cum caderem, videbatur mihi columba quaedam sub pedibus volitare, quae ruentis concussionem corporis mitigabat ». Quod ut [a] nimirum divinae virtutis signum fratris Hermanni meritis crederetur perpetratum, supra eius [b] tumulum, licet mortalibus tunc ignotum, cecidit vir praedictus. Unde, postquam corpus eius exstitit divina revelatione compertum, innotuit omnibus manifeste, quod in loco funeris fratris dicti conservaretur illaesum [c].

[a] C om. [b] C *cuius*. [c] C *illesus*.

6. Asserunt etiam qui viderunt, quod de medio vivi lapidis iuxta tumulum viri Dei in altari constructum aestate [a] media aqua guttatim exeat velut manna. Quod nonnulli artificiose factum extimantes aquam ipsam saepius extergebant; sed nullam fissuram lapidis reperientes fratris sanctissimi meritis tribuunt haec praedicta.

Auditor. Quid causae, frater, putas exsistere, quod guttatim velut manna de sepulcro viri Dei aqua profluxit?

Narrator. Causam certe liquoris effusi, si a me expetis naturalem, nescire plane me fateor [b], * *f. 112v* utpote qui nec situm loci cognoverim * ac iuxta cursum naturae de petra posse aquam progredi pariter non ignorem. Quocirca si ad rationem mysticam feratur intentio percunctantis, puto quia praerogativam [c] aliquam munditiae corporalis frater habuit memoratus. Ad quam congrue designandam aqua [d] de petra supra legem naturae prosiluit, quia temperantiae virtus inuncta praeter morem corruptionis nostrae in ipsius corpore humore gratiae abundavit. Quae nimirum caelesti mannae vere similis dicitur, quia profecto

---

[a] C *constructi etate.* [b] C *fator.* [c] C *pregorativam.* [d] C *aquam.*

in carne praeter carnem vivere non *terreni*, sed *caelestis imaginem* hominis [a] est *portare* [1]. Sic nempe [b] de beato Ioanne apostolo et evangelista legitur [2], quod de sepulcro [c] eius manna scaturire cernitur, ut qui speciali praerogativa [d] castitatis a Christo dilectus virgo carne permanserat, incorruptionis perpetuae decoratus munere signaretur. Sic ex tumulo [e] gloriosi antistitis Nicolai liquorem olei manare asserunt qui viderunt [3], ut nimirum qui, dum viveret, super afflictos *misericordiae visceribus* [4] affluebat, infirmantium membris hominum sanitatis * unguenta conficere * *f. 113r* mortuus etiam non desistat. Sic denique, ut affirmant [5], ex membris Catharinae oleum multiformis effectus [f] sanitatis egreditur, ut profecto cuius vitae munditia [g] et doctrina pariter condimentum spiritale infirmorum mentibus praestite-

[a] C om. [b] C *neppe*. [c] C *sepulcrum*. [d] C *pregorativa*. [e] C *tunica*. [f] C *effectuum*. [g] C *munditie*.

[1] I Cor. XV, 49. [2] Cf. I. a Voragine, *Leg. aur.*, c. 9, n. 11 (ed. Graesse, Lipsiae 1850, p. 62); B. Mombritius, l. c., p. 60. [3] Cf. I. a Voragine, l. c., c. 3, n. 7 (ibid., p. 26); B. Mombritius, l. c., p. 307. [4] Cf. Col. III, 12. [5] Cf. I. a Voragine, l. c., c. 172 (ibid., p. 794); B. Mombritius, l. c., I, p. 287.

runt, *copiosam* [a] quoque *misericordia* [1] coram Deo et interventione strenuam pro devotis fore se comprobet corpore iam defuncta.

Auditor. Adhuc obsecro, frater care, quatenus, si qua de nostrorum gestis fratrum praeter ista, quae superius enarrasti, memoriter retines, supradictis adicere non moreris.

Narrator. De multis sane fratribus multa [b] per [c] partes varias [d] operata cognovi, quae licet enarratis pauciora sint numero, mira tamen cernentibus et accipientibus grata valde arbitror exstitisse, quae dico. Verum ne te forsitan aut auditores alios quasi superfluis cibis stomachum aggravare velle extimer [e], breviata manu et stilo compendii, sicut postulas, enarranda transcurram.

De fratre Martino [2], qui requiescit [f]....

1. Mulier quaedam, Marsenda nomine, mente
* *f. 113v* capta, * die quodam intervalli dilucidi ad fratrem Martinum, dum adhuc viveret, gratia sanitatis

---

[a] C *copiosa*. [b] CL *multas*. [c] C om. [d] L *varia*. [e] L *extimes*. [f] C tacet quietis locum.

---

[1] Cf. Ps. CXXIX, 7. [2] Adest ut testis in quodam documento a. 1223, ap. *Miscell. francesc.*, X, 18; AFH V, 200.

accessit. Quam cum frater dictus aqua sancta humiliter aspersisset [a] et incenso pariter adoleret, mox ipsius meritis liberata recepit ab ipso firmiter in mandatis, ut dum viveret, nulli hominum, quod factum fuerat, declararet.

2. Matrona de dioecesi urbinensi, nomine Thomasina, cum paralysi premeretur et a multis etiam daemoniaca annis pluribus putaretur, ad fratrem Martinum, de quo diximus, adhuc superstitem est deducta; quae cum uvas Christi nomine consignatas ab eodem accepisset in cibum, ab utraque passione continuo liberata recessit.

3. Puer quidam de Monte Albono, nomine Theobaldus, cum in crure fistulam unam et in corpore pariter aliam toleraret, ad sepulcrum dicti fratris humili devotione pervenit; ad cuius invocationem coepit illico utraque fistula desiccari, et modico tempore interiecto per ipsius merita totalem meruit obtinere salutem.

4. Item puer alius, Guidutius nomine, cum dysenteriam [b] ac febrem pariter VII hebdomadarum spatio * pertulisset, ductus ad tumulum sancti * *f. 114r* fratris et ibidem in oratione persistens, ab utraque simul passione curatus Deum et servum eius laudans abscessit.

[a] C *aspexisset.* [b] C *dissenteria.*

5. Bonaspes quidam de Curra Cabalini, cum plurium hebdomadarum spatio tolerasset fluxum sanguinis per secessum, fratri Martino humiliter se devovit et continuo per eius merita liberatus servum Dei reverentia debita collaudavit.

6. Mulier quaedam, vocabulo Matalia, utriusque luminis officio longo tempore destituta, ad sepulcrum fratris dicti voto facto pervenit. Constituta igitur mulier cum lacrimis coram arca, desiderati luminis gratiam consecuta, absque ductu alterius ad propria remeavit.

7. Alia quoque mulier, nomine Gastaldella, ex uno latere paralytica et alterius oculi lumine pariter viduata, deducentibus caris eius, fratris Martini perducta est ad sepulcrum; ubi cum misericordiam humiliter postulans perseveraret, antequam loco cederet, visum meruit [a] obtinere et ab infirmitate lateris meritis fratris sanctissimi totaliter curata est.

De fratre Dominico, qui requiescit apud Sanctum Marinum. *

* *f. 114v*

1. Archipresbyter quidam de Montefeltro, Berengarius nomine, crus unum habens gravis-

[a] C *merit.*

sime fistulatum, nulla poterat medicorum arte vel studio liberari. A medicis ergo desperatus, fratri Dominico se devovit et, sepulcro ipsius personaliter visitato, plenissime est curatus.

2. Boncompagnus [a] de Sancto Marino, cum xx annorum spatio exsisteret incurvatus ita, quod non absque suffragio baculi poterat ambulare, fratri Dominico humiliter se commendans ipsius meritis illico est erectus.

3. Puer quidam de partibus Sancti Marini uno pede contractus ita, quod in terra nullatenus poterat complanare, sed fortiter claudicaret, invocato praesidio dicti fratris, restitui meruit in salutem ita, quod pede ambulat complanato.

De fratre Bernardo, qui requiescit in Massa.

1. Iuvenis quidam, natione massanus, cum infirmitate vesicae gravatus urinam fundere non valeret [b], sed totus inflatus corpore morti commixtus appareret, deportatus ad tumulum fratris Bernardi, illico * melioratum se sentiens pa- * *f. 115r*
nem petiit sibi dari; quem cum accepisset in cibum, mox emisso sanguine totaliter est [c] curatus.

---

[a] C *Boncompangnus.* [b] C *valebat* [c] C om.

2. Item iuvenis alius de Massae partibus, cum haberet in crure fistulam, qua contractum natibus adhaerebat, fratri dicto humiliter se commendans infra spatium dierum quatuor plene exstitit liberatus.

3. Mulier quaedam, Benevenuta nomine, toto corpore fistulata nec valens medicorum arte vel consilio liberari, fratri Bernardo misericordiam postulans humiliter se devovit; ad cuius invocationem ita post modicum est curata, ut, ulcere desiccato, nullam deinceps fistulae senserit passionem.

De fratre Petro de Monte Ulmonis.

1. Mulier quaedam de civitate firmana renibus incurvata in tantum, quod nulla poterat virtute corporis ambulare, ad sepulcrum fratris Petri de Monte Ulmonis equo vecta pervenit; cumque super tumulum in oratione prostrata fuisset, per eiusdem merita mox erecta pedibus propriis[a] remeavit in sua.

2. Item mulier alia de Lafreno ad corpus dicti fratris accedens, dum adhuc exsisteret insepul-

[a] C *proprii.*

tum, filiam * suam brachiis attulit in extremis * *f. 115v*
vitae terminis laborantem. Quae cum devota pervenisset ad funus, manum fratris super vultum filiae salutis gratia traducebat; ex cuius tactu statim virgo tanta velocitate convaluit, ut de viso miraculo omnes, qui aderant, mirarentur.

3. Vir quidam de Monte Rubiano, crure uno ac brachio tibiaque contractus, ad sepulcrum fratris Petri veniens rogavit humiliter et devote, ut apud Deum sibi misericordiam obtinere curaret. Cumque super tumulum commoratus desideratum sibi non sentiret auxilium indulgeri, voce magna clamavit et dixit: « Sancte Francisce, conforta hunc fratrem Petrum, ut liberet me! » Quo dicto, cum aliquanto [a] tempore super [b] tumulum quievisset, sanus illico et exsultans ad propria remeavit.

Auditor. Putasne fratris istius an potius sancti patris Francisci suffragiis vir praedictus sanitatem obtinuit [c] postulatam?

Narrator. Rem certe difficilem et humanis sensibus abditam quaesivisti et fortassis ad plenum meae * responsionis eloquio non solvendam. * *f. 116r*
Dicam tamen a simili quod [d] sentio de quaesito,

---

[a] L *aliquo.* [b] C om. [c] C *optunuit.* [d] L *quid.*

paratus semper sententiae cedere [a] meliori ac certe tutius discere arbitrans quam docere. Constat namque languidum cum spe firma salutis ac pietate fidei ad fratris tumulum accessisse defuncti et, sicut rerum exitus docuit, orationis instantia salutaris obtinuisse gratiam, quam quaesivit; quam tamen quia non tam cito, ut voluit, assecutus invenit, multiplicatis intercessoribus optatum munus gratiae enixius flagitavit. Potuit ergo fieri, ut votorum dilatio devotionem mentis accenderet in aegroto, et quod unius invocatione nondum aptus beneficio sanitatis obtinere non potuit, iuncto simul magistri suffragio, efficaciter impetravit. Quamvis sane, salva fidei pietate, beatum patrem Franciscum propensioris apud Deum meriti curandus ille quam fratrem istum recte putaverit, quem sibi in auxilium advocavit; nec honoris aliquid derogari discipulo, si caeremonia laudis effusior delata fuerit et magistro. Hinc est enim, quod propheta, prophetae discipulus [b], cum relicto sibi magistri
* *f. 116v* * pallio Iordanis aquas percutiens transitum minime reperisset, virtutem memorans praeceptoris et nomen pariter invocare nequaquam erubuit,

---

[a] L *credere.* [b] C *discipulis.*

sed dixit: *Ubi est Deus Eliae etiam nunc?* Et qui geminatum magistri spiritum nuper acceperat, quod suis agere non poterat, ipsius meritis tribuendo consecutus est transitum, quem optabat [1]. Sic quoque Giezi magistri baculum super mortuum ponens nec conferre salutem praevalens ad ipsum rediit et, invalitudinis suae inutilitate confessa, maioris sui gloriam haud [a] invidus ampliavit [2]. Sive ergo dixerimus, quod unius illorum meritis aut amborum iste curatus exstiterit, parum refert [b] ad fidei pietatem, dummodo ex comparatione alterius neutrius gloriae derogemus.

Auditor. Libet [c] mihi ignorata quaesiisse, ut, dum tibi cogitandi materiam ministraverim, discretionis ordinem in caeremoniis exhibendum absque sanctorum iniuriis te docente cognoverim. At iam, quaeso, promissionis memor ad incoepta recurre et, quod superest, non pigeat adimplere.

De fratre Leonardo, qui requiescit Piperni.

Narrator. 1. In castro Montisfortini de Campania puer quidam, Iordanus * nomine, cum ex * *f. 117r*

[a] C *aut.* [b] C *refer.* [c] C *licet.*

[1] IV Reg. II, 14. Eamdem facti similis explicationem dat S. Gregorius, *Dial.* I, 2 (Migne, PL., 77, 161). [2] IV Reg. IV, 29 sq.

utero matris suae claudus exstitisset, ad fratrem Leonardum de Fulgineo, qui tunc temporis apud Pipernum morabatur, a parentibus est portatus; cui cum frater dictus ob devotionem parentum signum crucis humiliter impressisset, mox eisdem videntibus ipse puer restitutus est optimae [a] sanitati.

2. Item Aegidius quidam de Montefortino, cum per annos quatuor exstitisset oculorum lumine destitutus, ad fratrem Leonardum duce praeambulo est perductus; qui, cum signum crucis super oculos accepisset ab eo, per ipsius merita lumen adeptus, Deo et servo eius gratiarum debitas retulit actiones.

De fratre Tentalbene.

1. Frater Damianus de Tuderto caecum quemdam asseruit se vidisse utriusque usu luminis destitutum ad fratrem Tentalbene sanitatis gratia pervenisse; a quo signatus abscedens visum perditum reaccepit.

2. Testatur insuper idem frater quod, cum iuvenis quidam paralyticus ad eumdem, de quo

[a] L *optime.*

praediximus, accessisset, facto similiter signo crucis, se praesente totaliter est curatus.

3. Tertium quoque se vidisse asseruit patientem, qui in * manibus dolorem maximum tole- * *f. 117v*
rabat; quem cum frater Tentalbene signo crucis humiliter consignasset, continuo peroptime liberatus abscessit.

De fratre Iacobo de Assisio [1].

1. Mulier quaedam Salsae [a] Burgensis, dum morbo fistulae gravissime laboraret, fratri Iacobo de Assisio, qui requiescit Fogiae, humiliter se devovit. Facto igitur voto coram multis, dicti [b] fratris meritis concupitam illico rehabere promeruit sanitatem.

2. Philippus, campsor de Fogia, cum quartanam multo tempore passus foret, nec in aliquo medicorum sibi cura prodesset, facto voto fratri Iacobo, nocte sequenti per visionem audivit eum licentem sibi: « Noli amplius esse sollicitus de quartana, quia ecce liberaberis ex hac hora ». Mane autem facto, surrexit homo de stratu suo

[a] L *Salse.* [b] C *dictis.*

[1] Cf. Th. de Celano, *Tract. de mir.*, n. 116.

et nec typum quidem deinceps febris pertulit memoratae.

3. Civis quidam troianus morbo cancri graviter molestatus in tibia, cum se dicto fratri suppliciter devovisset, sanitatem integram conse-
* *f. 118r* cutus devotus obtulit, quod promisit. *

4. Vir quidam habitator Fogiae, Matthaeus nomine, cum morbo similiter valde gravi pateretur in crure nec aliquatenus curaretur, cum multa in medicis expendisset, vovit se fratri Iacobo memorato et statim ipsius meritis sanitatem diu perditam reaccepit.

De fratre Petro de Trano.

1. Puer quidam de castro Cangiani [a] tanta cuiusdam infirmitatis molestia praegravatus, quod frequenter toto corpore livescente morti videretur affinis, clamans quoque et eiulans prae dolore, diem crebro cum nocte iungebat, et inflato femore prae angustia vehementi permanebat immobilis [b] quasi truncus ita, quod magis hominis mortui praeferebat speciem quam viventis. Delatus igitur ad sepulcrum fratris Petri

[a] L *Cagniani.* [b] C *et mobilis.*

de Trano. per ipsius merita totalem meruit sanitatem.

2. Vir quidam de Luca, Bartholomaeus nomine, habitans in Cangiano, cum ad colligendum gallam quercum arduam conscendisset, fracto ramo cui insederat, supra [a] maceriam lapidum ita corruit, quod confractus toto corpore in duabus perticis * a quibusdam ad praedicti fratris tumulum est delatus; qui ibidem votum faciens tam velocem quam integram obtinere promeruit sanitatem. * *f. 118v*

3. Mulier quaedam de Cangiano, magistri Rainaldi filia, unius lateris ariditate percussa, nullum penitus vitae motum sentiens, ipsum movere non [b] potuit aut ex eo aliquid operari. Porro pater eius fratri Petro devovens repromisit, quod in ecclesia, ubi sepultum est corpus, aedificium construi faceret, quodcumque fratres utilius fieri decrevissent; quo facto, confestim mulier restituta est ex integro sanitati.

4. Puer quidam de Cangiano, cum die quadam in lacu, qui Baranum dicitur, se lavaret, sanguisuga quaedam natantis corpus introivit. Quam dies plurimos cum in corpore deportasset,

---

[a] L *super.* [b] C om.

tantum sanguinis [a] per os certis vicibus emittebat, quod [b] multotiens semimortuus apparebat. Vovens igitur fratri Petro, mox ipsius meritis sanguisugam emisit per secessum et, restricto san-
* *f. 119r* guine, restitutus est sanitati. *

5. Diaconus quidam de castro Capeli [c], cum infirmitate diutina teneretur ita, quod de lecto surgere non valeret, ad tumulum dicti fratris se fecit in humeris hominum deportari; ubi tanta velocitate ipso mediante convaluit, quod statim ad propria suis pedibus est reversus. Timens autem incurrere recidivum, de consilio cuiusdam mulieris fecit sibi balneum praeparare; quod cum intrasset, mox infirmitatis pristinae subiit detrimentum. Tandem ductus poenitudine reportari se fecit ad fratris tumulum memorati, ubi post emissionem voti taliter est curatus, quod nunquam postea dictae passionis molestiam est perpessus.

Auditor. Cum, sicut supra dixisse te memini, medicinis uti corporalibus peccatum non sit, miror, cur is [d] qui pro salute corporis conservanda balneum adiit, in eamdem, qua curatus exstiterat, aegritudinem est relapsus.

---

[a] C om. [b] C *qui.* [c] L *Campli.* [d] C *his.*

Narrator. Sicut, spreta medicina corporali, merito fidei aut suarum dignitate virtutum a Deo vel sanctis exquirere sanitatem typus praesumptionis aut * certe tentationis Dei culpa fore cognoscitur [1], sic nimirum de salute concessa gratiarum laudes debitas non referre peccatum constat ingratitudinis exsistere suo merito puniendum. Non solum autem ingratitudinis reus esse convincitur, qui vocali sono laudis aut devotionis cordis interius pro accepto beneficio gratiarum munia non persolvit, sed is [a] etiam qui, cum donum sibi gratum contributum fore cognoverit, doni quoque ipsius permanentiam quantum sibi expedit collatam exstitisse diffidit. Ex culpa ergo diffidentiae recidivum passus apparuit quanto ingratitudinis vitio fomenta balnei requisivit. Hinc enim scriptum est [2]: *Postulet autem in fide nihil haesitans.* In fide namque haesitans postulat qui, licet pietate fidei in oratione genuflectat, de bonitate tamen eius cui supplicat non usquequaque confidit. Quamvis et hoc apte [b] satis ad ingratitudinis cumulum valeat assignari, quod de consilio vetulae remedium eiuscemodi atten-

* *f. 119v*

[a] C *hiis qui.* [b] C *acte.*

[1] Cf. supra, p. 204 sq. [2] Iac. I, 6.

tarit; cum profecto, multotiens permittente Deo
* f. 120r licet * sibi plura carminatrices huiusmodi beneficia corporalia suis incantationibus aut experimentis adiciant, propter tamen superstitionis suae fictiones et gentilis erroris suspicionem tanquam inimica cultui christiano catholica dogmatizet Ecclesia modis omnibus eiusmodi profugienda [a]. Unde signanter legislator admonuit dicens [1]: *Si surrexerit in medio tui propheta qui somnium viderit et signum praedixerit, et evenerit quod locutus est, non audies verba somniatoris illius, quia tentat vos Dominus Deus vester utrum diligatis eum annon.* Prophetae namque nomen usurpat, qui quod solius Dei est, de futuris extimat quod ignorat. Qui etsi quandoque verum nesciens dixerit, non est tamen a fidelibus audiendus, quia tentari nos permittit Dominus ut sciat, idest ut scire nos faciat sive etiam aliis manifestet, utrum diligamus eum annon, faciendo videlicet quod praecepit cum dixit [2]: *Non augurabimini nec observabitis somnia.* Quae revera qui fecerit, inimicum Dei et catholicae fidei trans-
* f. 120v gressorem se esse demonstrat. *

[a] C *profugenda.*

[1] Deut. XIII, 1 sq. [2] Levit. XIX, 26.

Auditor. Dubitationi meae manifesta ratio satisfecit; tuum autem est progredi, ut coepisti, qua collatione tua mihi placita semper invocor ad auditum.

De fratre Othone, qui requiescit Polae.

Narrator. 1. Petrus quidam de Pola, civitate Istriae, habens in gutture apostema, desperatus a medicis fratris Othonis auxilium humiliter imploravit. Cui visibiliter dictus frater apparuit et super [a] faciem eius manum ducens aiebàt: « Ne timeas, quia ecce liberatus eris ». Ille vero prae gaudio socrum suam vocare coepit; ad cuius vocem dictus frater, eo salutato, disparuit. Aeger autem a passione praedicta in brevi totaliter est curatus.

2. Ioannes quidam, prior ecclesiae Sanctae Mariae de Orsaro, cum [b] haberet brachium desiccatum et unumque contractam [c], ad sepulcrum dicti fratris restitutionem manus et brachii se gavisus est accepisse.

3. Puella quaedam nobilis de civitate polensi, nomine Chemota, uno crure contracta ita, quod

---

[a] C om. [b] C om. [c] C *contracta.*

nulla ratione poterat ambulare, fratris Othonis ad tumulum deportata, cum lacrimis se prostra-
* *f. 121r* vit ibidem et, * divina gratia largiente, mox incolumis et erecta discessit.

4. Item Aliotus quidam de Duobus Castris, pedes habens monstruose retortos, baculorum iuvamine sustentatus veniens ad sepulcrum eius, ipsius meritis plenam illico consecutus est sanitatem.

5. Martinus, filius Mazae de Pola, a cingulo infra paralyticus et contractus, procurante matre sua ad dicti fratris tumulum est portatus; ubi cum diebus multis misericordiam postulans iacuisset, subito die quadam, dum fratrem sanctum devotissime invocaret, erectus et totaliter liberatus abscessit.

6. Puer quidam, Marchi murarii filius de Pola, cum ad aurem usque os retortum haberet, coram dicti fratris tumulo preces devotissimas offerens, per ipsius merita sanitatem pristinam acquisivit.

7. Puella quaedam, Maria nomine, oculorum lumine destituta, cum pervenisset ad tumulum fratris eiusdem, concupitum lumen accipiens, Deo et fratri sanctissimo grates debitas alacriter per-
* *f. 121v* solvebat. *

8. Item puer quidam omnino caecus, cum diebus pluribus coram tumulo memorati fratris sanitatis gratia perstitisset, utroque tandem oculo restitutus, factum in se miraculum omnibus declaravit.

9. Mulier quaedam, Avinanta nomine, uxor Alesii de Pola, cum per dies multos obmutuisset nec ullatenus verba posset plectro linguae formare, ad sepulcrum viri Dei cum lacrimis et devotione perveniens, ipsius accedente suffragio diu perditam reportavit loquelam.

Auditor. Quantum datur intelligi ex auditis, mirabilia, quae superius enarrasti, per fratres simplices aut parum certe litteratos, excepto dumtaxat sancto Antonio, perpetrata noscuntur; ideoque scire velim, si per fratres nostri Ordinis litteratos horum similia facta cognoveris.

Narrator. Constat quidem simplicitatis cultores Deo ab initio placuisse, utpote *cum* quibus *sermocinatio eius* [1], et *quae stulta sunt mundi elegit* [a], *ut confunderet sapientes. Inimicam* * * *f. 122r*
namque *Deo sapientiam* huius mundi Salvator

[a] C *elegegit.*

[1] Prov. III, 32. Sequitur *a*) I Cor. I, 27, *b*) Rom. VIII, 7, *c*) I Cor. I, 29.

noster electione simplicium confutavit *ut*, sicut scriptum est, *non glorietur omnis caro in conspectu eius*. Sapientem tamen nihilominus Paulum vocavit e caelo, ut architecta domum [a] Ecclesiae proficientis exstrueret, et super *fundamentum Christum* [1] *lapidum vivorum* seriem quasi quamdam [b] fidei regulam coaptaret; sic Petrum et Ioannem et apostolos alios, qui [c] quidem, licet *sine litteris et* [d] *idiotas* eligens [2] convocavit, docente tamen eos Spiritu, sapientiam subito sapientum mundi transcendere meruerunt. Numquid autem sapienti Paulo curationum gratia defuit? Audi quid dicit [3]: *Non enim audeo loqui aliquid eorum, quae per me non efficit Christus in obedientiam gentium in verbo et factis, in virtute signorum et prodigiorum, in virtute Spiritus sancti*. Numquid Petro et apostolis aliis, iuxta quod primitivae Ecclesiae expediebat, virtutum gloria non arrisit [e]? Sed quia, sicut scriptum est [4], *sapientes gloriam possidebunt*, non magnoperis Domino est sapientibus suis gloriam, nisi cum fidei pietas

[a] C om. [b] C *quedam*. [c] C *quos*. [d] C om. [e] C *arrisitur*.

[1] I Cor. III, 11; I Petr. II, 5 [2] Act. IV, 13. [3] Rom. XV, 18 sq. [4] Prov. III, 35.

exigit [a], ministrare, praesertim cum et ipsa virtutum opera sanctitatem * nequaquam efficiant, * *f. 122v* sed ostendant [1]. Simplicioribus tamen Ecclesiae suae membris hanc idcirco seapse, ut arbitror, gloriae tribuit [b] in virtutibus claritatem, ut, sicut dixit Paulus [2], *non sit scisma in corpore eius quod est Ecclesia* nec *unus adversus alterum infletur pro* aliquo. *Honestiora* enim *nostra nullius egent, sed Deus temperavit corpus, ei cui deerat abundantiorem honorem tribuendo.* Alioquin autem, si scientia litterarum aliis paribus [c] ignorantiae comparetur, tantum [d] iuxta Salomonis vocem [3] *differt sapientia a stultitia quantum lux tenebras antecedit.* Si vero scientiae iunxeris sanctitatem, *utilior est sapientia cum divitiis* caritatis et quasi *gemma carbunculi in ornamento auri* monilibus circumsepta virtutum clarius elucescit. Verum ne te longius exemplis aut

---

[a] C *exiit.* [b] *tribuat.* [c] C *partibus.* [d] C *tamen.*

---

[1] S. Gregorius, *Homil. in Evang.* XXIX, n. 4 (Migne, PL 76, 1216) et *Dial.* I, c. 12 (Migne, PL 77, 213). [2] I Cor. XII, 25. Sequitur *a)* Col. I, 24, *b)* I Cor. IV, 6, et XII, 24. [3] Eccle. II, 13. Sequitur *a)* Eccle. VII, 12, *b)* Eccli. XXXII, 7.

rationibus protraham, ad fratres quosdam nostri temporis veniam et quae per ipsos mira patratus est Dominus non abscondam.

De fratre [a] Adam Rufo, qui iacet Baruli [b] [1].

1. Puella quaedam, Pasca nomine, Noceti filia, cum die quadam lac comederet, quod sibi datum
* *f. 123r* fuerat * a vicina, subito denigratum est lac in

[a] C om. [b] C add. alia manu *q. i. B.*

[1] Praeclaram huius Adae faciunt mentionem Th. de Eccleston, *De adv. fr. Min.*, III, AF I, 224, ed. Little, p. 21-23, et Rob. Grosseteste, Lincolniensis episcopus. In sua quadam epistola ad Fr. Arnulfum, Gregorii IX poenitentiarium, iste scribit: « Charitati vestrae, quae sicut nos praevenit cognitione, sic etiam praevenit spirituali dilectione, insuperque beneficii praestantissimi exhibitione, sicut partim veraciter didicimus ex fida plurium relatione, partim vero ex bonae memoriae fratris Adae Rufi, dilectissimi nobis in Christo quondam discipuli, tunc vero amici specialissimi, nunc autem ut pie speramus in curia summi Iudicis patroni, rescriptione, gratiarum actiones non quantas vellemus, sed quantas possumus cum summa devotione refundimus ». E. Brown, *Fasciculus rerum*, II, Londini 1690, p. 333. Quaedam « *de accessione et recessione maris* » quaestio inedita, ut videtur, « *a magistro A[dam] Exoniensi in scolis suis determinata* », servatur in Cod. 138, f. 261 v 2, Bibl. comm. Assisii.

vase, et hoc ipsum, quod comederat, stupefacta reiecit; attonitisque luminibus aspiciens circumquaque per domum, vidit quemdam nigerrimum magni capitis ac staturae pusillae dicentem sibi: « Mortua es, et iam necesse est, ut in puteum te demergam ». Statim domum egrediens mulier voces horribiles emittebat. Quo facto, intumescente utero, volutari coepit et a daemone graviter infestari ita, quod a duobus vel tribus hominibus vix potuit detineri. Auditis autem pater eius quae per fratrem Adam Rufum operabatur clementia Salvatoris, cum vicinis multis ad sepulcrum dicti fratris perduxit eamdem; ubi cum ab hora vespertina per totam noctem usque in horam VI diei sequentis cum parentibus vigilasset, per fratris merita supradicti ab infestatione daemonum totaliter est curata.

2. Maria quaedam, Rapollae incola, a daemonio fatigata, Barulum veniens ad sepulcrum dicti fratris accessit humiliter et devote. Quae cum infirmis * aliis coram tumulo constituta obmutuit in instanti; sed cum fratres ad matutinas surrexissent, infestante eam daemone horribiliter exclamavit et tamdiu semetipsam concutiens distorquebat, quod oculi eius et membra alia deformata mortuae potius quam viventis mulieris * *f. 123v*

speciem praeferebant. Tandem vero die tertia coram multitudine populi emisso vomitu liberata, nullam deinceps infirmitatis dictae pertulit passionem.

3. Verdiana perusina ab ilio et infra per annos duodecim doloribus fatigata in tantum, quod nequaquam poterat se iuvare ac vicinos multotiens clamoribus exturbaret, ad sepulcrum fratris Adae triduo vigilans, nocte tertia taliter est curata, quod recte ambulans usquequaque doloris soliti nullo gravamine coarctetur [a].

4. Magister Philippus, dolorem anchae per annum et ultra perpessus, tempore quo frater dictus ad paratum sibi tumulum transferri debebat, ipsi humiliter supplicavit, ut a memorato dolore
* *f. 124r* eum misericorditer libera-*ret; ad huius invocationem ita convaluit in momento, quod vicini, qui eum noverant, mirarentur.

5. Matthaeus, iudex Serviensis, cum beati Nicolai limina visitaret, antequam Barulum pervenisset, crus [b] eius et genu ita intumuit, quod sine alterius adiutorio equum scandere non valeret. Cum autem ad civitatem applicuisset dolore gravatus [c], ad sepulcrum dicti fratris ire [d] non

[a] L *coarctaretur.* [b] C *crux.* [c] L *applicuisset, dolore gravatus ad.* [d] C om.

praevalens, uxorem suam illuc vice sui cum sociis destinavit. At illa mariti peram super tumulum collocans ad hospitium reversa est; cumque genu viri pera praedicta tetigisset, tumor cruris illico crepuit, et in brevi liberatus, cum uxore et sociis veniens ad sepulcrum, coram multis adstantibus factum in se miraculum ad Dei et fratris sanctissimi gloriam enarravit.

6. Parisius de Sancta Sophia, medietate corporis paralysi resolutus, os habebat distortum ita, quod manus eius et brachium inutilia dependerent, nec sine alterius adiutorio aliquatenus surgere aut sine baculo poterat ambulare; ad sepulcrum fratris Adae veniens, oratione praemissa, taliter est curatus, quod * directo ore * *f. 124v* locutus est expedite et coram vicinis adstantibus super caput manum cum brachio elevavit et sine baculo ambulavit protinus, quo volebat.

7. Margarita, uxor magistri Petri medici, cum in partus doloribus laboraret ac prae angustia vehementi morti videretur affinis, vir eius anulum, quo corpus Adae tetigerat, filiae tradidit, quem matris collo suspensum ipsa ligavit, et confestim emisso foetu a doloribus mater exstitit liberata.

8. Gemma, uxor Maraldi caldararii, annis XVIII

infirmitate, quam infectam nominant [a], cruciata, fluxu quoque sanguinis per menses quatuor fatigata, nullo medicorum potuit iuvamine liberari; sed cum in ecclesia, ubi corpus dicti fratris quiescit, tribus diebus ac noctibus vigilasset, ab utraque simul aegritudine liberata, Deo et servo eius debita gratiarum munera loco cedens exsolvit.

9. Domina Beneventana, uxor Salpensis quondam comestabuli Asalonis, unius auris et sini-
* *f. 125r* *stri brachii officiis destituta, ad sepulcrum dicti fratris accedens mox recepit auditum et ab infirmitate brachii, Dei gratia et fratris meritis, multis testantibus totaliter est curata.

10. Gisus de Atrio Pennensi [b], per annos v oculorum lumine totaliter viduatus, coram fratris Adae tumulo veniens, per eius merita confestim videre promeruit lumen caeli.

De fratre Guilielmo de Cordella [1].

1. Frater Gentilis de Diruta deposuit se vidisse, quod, cum die quadam frater Guilielmus

[a] C *nominat.* [b] C *Pemensi.*

[1] De hoc insigni viro, Gregorii papae IX poenitentiario, qui fuit negotiator pacis Senenses inter et Florentinos nec-

de Cordella in civitate Tuscanella praedicaret populo in platea, caecus quidam [a] ad eum venit signum sibi super oculos fieri postulans sanctae crucis; quem cum coram populo dictus frater humiliter consignasset, confestim viso lumine restitutus Dei laudes voce altissima proclamabat.

2. Item asseruit idem frater, quod eodem [b] die accessit ad eum vir quidam sex annorum spatio humeris complicatus ita, quod rectus incedere ullatenus non valebat; cui cum dictus frater signum crucis imposuisset, ut rogavit, coram omnibus qui aderant est erectus, * et dans * *f. 125v* gloriam Deo cum gaudio remeavit in sua.

[a] L *quidem.* [b] L *eadem.*

non Cruciatae praedicator in Francia, videsis notitiam P. A. Van den Wyngaert, O. F. M., in *France franciscaine,* IV, 52-71 et 455.

V.

De Visionibus Fratrum [a].

Auditor. Multa satis et miranda valde carismata gratiarum per fratrum suffragia devotis exhibita, sicut spoponderas, enarrasti; sed cum plures in Ordine fratres constet contemplationi sanctae deditos exstitisse, de divinis revelationibus eisdem patefactis audire desidero, si qua [b] nosti.

Narrator. Licet multa de eiusmodi, quae requiris, audiverim, et his plura non ambigam me latere, quae fratribus nostris contemplationis studio pollentibus saepius contigerunt, quia tamen plerumque magna solet in talibus ludificatio daemonum exerceri, praetermissis multis et

[a] Alia manus in margine folii superiore haec addidit verba: *Hec, que secuntur, sunt quedam visiones seu apparitiones facte diversis fratribus Deum orantibus et contemplantibus.* [b] L *quae.*

variis, pauca quaedam haec, quae certissima fratrum mihi sunt [a] narratione comperta, referam, ut petisti.

1. In castro namque, quod Pesquitium dicitur, cum fratres nostri Ordinis ecclesiam fabricarent, contigit duos e fratribus tam operi quam laborantibus assistentes visione divina caelitus [b] illustrari. Nam cum noc-*te quadam se sopori * *f. 126r*
dedissent, expergefactus [c] alter eorum acclamavit alterum ut consurgeret, et ut horas suas diceret invitavit. Surgens autem frater a somno et incipiens suas horas, audivit strepitum quasi lapidum crepitantium resonantem, quaesivitque a fratre altero, quid hoc esset; qui respondit: « Eamus et videamus simul quidnam sit, quod audisti ». Exeuntes igitur ambo pariter viderunt multitudinem hominum copiosam lapides humeris deferentem, qui omnes vestimentis albis induti, cum silentio incedentes, tantam lapidum quantitatem deportaverant super locum, quod laborantibus in ecclesia supradicta VIII dierum spatio [1] sufficerunt [d].

---

[a] CL om. [b] C *celistus.* [c] C *experfactus.* [d] CL add. *lapides.*

[1] Idem suo refert stilo Fr. Thomas Celanen. in tractatu speciali *De miraculis S. Francisci,* n. 60.

Auditor. Putasne, frater, vere homines an angeli potius exstiterunt, qui aedificantibus fratribus hoc subsidium praestiterunt?

Narrator. Angelos quidem et non homines ipsos arbitror exstitisse, qui iuxta solitum sibi ministerium Dei miserentis effectum exhibere parati sunt consilio pariter et auxilio hominum
* *f. 126v* destitutis. * Quod profecto per habitum, quem gerebant, convenienter innuitur; qui nimirum propter angelicam puritatem et munditiam albis induti vestibus describuntur. Unde scriptum est [1]: *Exercitus, qui sunt in caelo, sequebantur* Verbum Dei *in equis albis vestiti bysso alba et munda.* Quod quoque sub silentio significatur, quo [a] haec ipsa quae praediximus operari dicuntur; ut per hoc nobis innuant, quod impensa proximis fraternae subministrationis opera nequaquam ad laudem humani favoris agere studeamus, iuxta quod Salvator admonuit [2]: *Cum facis eleemosynam, noli tuba canere ante te.* Ita ergo angelos, licet oculis materialibus invisibiles, nobis saepe arbitror auxilium sive in faciendis utilibus, ut praedixi, vel etiam in cavendis adversis

[a] C om.

[1] Apoc. XIX, 14. [2] Matth. VI, 2.

ministrare de caelo; quia certe nunquam tuta consistere posset humana fragilitas tot vallata miseriis et insidiis adversantium occupata, nisi angelico suffragio et praesidio pariter muniretur. Quod sane prophetae puer apte per significationem expri-*mit, qui persequentes dominum suum * *f. 127r*
Syros aspiciens circumdedisse undique civitatem stupefactus aiebat [a]: *Heu, heu, heu, domine mi, quid faciemus?* At ille angelici suffragii non ignarus: *Noli,* inquit, *timere, plures enim nobiscum sunt quam cum eis.* Oravitque propheta Dominum, ut oculos pueri aperiret, quatenus militiae caelestis exercitum, qui sibi in auxilium venerat, cernere potuisset: *Et vidit, et ecce mons plenus equorum et curruum igneorum in circuitu Elisei* [1]. Qui enim hostes visibiles puer tremebundus adspexerat, invisibiles angelorum acies ad auxilium bellantium praeparatos, ne penitus desperaret, ut conspiceret advenisse, propheta precibus impetravit.

Auditor. Magna divini consilii providentia actum fore conicio, quod *spiritalia* [b] *nequitiae* [2]

---

[a] C *agebat.* [b] L *spiritualia.*

---

[1] IV Reg. VI, 15 seq. [2] Eph. VI, 12.

nobis adversantia oculis corporalibus adspicere non valemus; quia multos saepe in desperationis barathrum timor mergeret, si persequentium hostium feritatem et multitudinem laqueorum ma-
* *f. 127v* nifeste viderent. *

Narrator. Vere, sicut asseris, divina benignitas membris suis iuxta cuiuslibet qualitatem misericorditer prospicit, dum quibusdam quasi infirmis parcens, contrariorum sibi saevitiam et nocendi efficaciam occulit [a]; alios vero tentationum exercitio [b] solidatos quasi milites fortiores conflictu multotiens corporali et congressione visibili cum antiquo hoste ampliori merito coronandos exponit.

2. Nam et frater quidam Clemens nomine, natione Tuscus, vir mirae religionis et vitae, cum in eremitorio, quod Garderia dicitur, moraretur et in oratione creber exsisteret, hostis antiquus virtutis ipsius aemulus in diversis animalium speciebus cum eo frequenter pugnam committere et ipsum a proposito salutis inflectere conabatur. Quadam vero nocte, cum eumdem congressione diutina fatigasset et iam quasi lassus intrasset tugurium ut dormiret, collocavit se iuxta ignem

[a] C *opculit.* [b] C *exercitatio,* L *exercitatione.*

ut quiesceret more suo. Cumque dormitare coepisset, ecce diabolus titione igneo tetigit manum eius. Expergefactus autem frater et adspiciens assi-*stentem, accepto titione, nisus est repercu- * f. 128r
tere ferientem, sed statim inimicus ab oculis eius evanuit; ignis tamèn exustio die sequenti in manu eius apparuit. — Altera quoque vice, cum in partibus Hispaniae [a] constitutus idem frater ad orandum tempore noctis exiisset et super trabem quamdam genua flecteret incessanter, ecce diabolus adstans ori eius percutiebat eum in genuflexione qualibet in maxilla. Quod cum diu sustinuisset, extendit demum manum suam, ut caperet se caedentem; ille vero fugiens manum fratris [b] taliter tetigit ac percussit, quod in ea vesicae quinque turgentes exortae sunt, ita quod diebus multis cum eadem nihil poterat operari.

Auditor. Mira spirituum malignorum erga perfectos maxime livoris iniquitas, quos tam variis infestationum artibus atque modis lacessere non desistunt, magna quoque sollicitudo custodiae spiritalis resistentibus necessaria comprobatur, qua [c] tentationum illorum machinas frangere sive etiam fugere valeant cum salute. * * f. 128v

[a] C *Insperanie.* [b] C bis *manum fratris.* [c] C *quam.*

Narrator. Multae quidem, nec nisi perfectissimis cognitae, sunt latentis insidiae inimici; nec absque custodia diligenti non humanae tantum, sed angelicae sollicitudinis ullatenus possunt deprehensae vitari. Quis enim enumerare sufficiat, quot ponens laqueos insidiando circumvolet, quantis letiferae persuasionis mediis blandiendo deducat, quibus insuper promissionibus decipiendo incautos illiciat, qualibusve minis ut a studiosis operibus desistamus exterreat, quantis quoque feritatis audaciis opprimendo, bona saepe corporalia, plerumque vero [a] spiritalia rapiat, quibus demum desperationis insultibus arcem mentis inclinet? Sed nimirum haec omnia malignitatis commenta viris sanctis eo minus pertimescenda sunt, quo nisi volenti et consentienti animo dominari sive etiam [b] nocere non possunt. Ut tamen talia tamque diversa machinamenta diaboli homo declinet, adiutorio liberantis eget, ut, quo minus sibi de se ipso fortitudinis adesse cognoverit, ad Eum *qui dat lasso* [c] *virtutem* [1] * *f. 129r* recurrendo, percipiat unde * malignorum artibus circumspecte resistat. Tentationum quoque va-

[a] C add. interl. [b] C add. interl. [c] C *lapso.*

[1] Isai. XL, 29.

rietas plus certe strenuitatis est [a] indicium viro iusto quam inimico virtutis insigne, quia, si uno tantum malignitatis iaculo quempiam posset deicere, sine causa tot ipsum [b] studeret vincendi artes et machinas invenire. Nunc vero, quia [c] in uno quolibet tentandi genere contradici sibi multoties conspicit ac resisti, ad varietatem fraudum [d] se vertendo demonstrat, quam nisi permissus quempiam tentatione qualibet non devincat. Hinc Iacobus ait [1]: *Omne gaudium existimate, fratres, cum in tentationes varias incideritis.* Iustum namque in [e] tentationem incidere, plus periculi causam solet habere quam gaudii; sed cum variatio tentamenti subicitur, spes certa victoriae cum proventu [f] futuri gaudii denotatur. — Ut autem ista, quae de multitudine tentationum varia simul etiam et adiutorio gratiae diximus celerius elucescant, exemplo brevi recollige, quod fratri cuidam nostri Ordinis audisse me memini contigisse.

3. Erat quippe frater quidam papilonensis [2] genere, * nomine Simon, qui contemplationis san- * *f. 129v*

[a] CL om. [b] CL *ipsius.* [c] C om. [d] C *flaudium.* [e] C om. [f] C *proventa.*

[1] Iac. I, 2. [2] Forsitan de Populona in Tuscia.

ctae deditus negotiis, stellam quamdam praefulgidam dextra sui capitis habere sibi quotidie videbatur. Cumque sine cessatione sive quiescens sive laborans labia duceret quasi orans, manifeste vidit aviculas nigras quasi merulas circa vultum suum quantotiens volitantes, post quas tentationes variae succedentes eum mirabiliter affligebant; ipso tamen in oratione attentius perdurante, supervenientes aviculae nimis albae nigras aviculas simul cum tentationibus sensibiliter effugabant. Id ipsum quoque in fratribus aliis pluribus asseruit se vidisse, iuxta quod sibi Dominus revelare dignatus est [1].

Auditor. Claret certe, per haec ipsa quae narras, quanta circa nos angelorum caritas et custodiae sollicitudo pervigilet, qui non solum nobis bona merita sua intercessione conquirunt ac quaesita custodiunt, verum etiam potestatis adversae vires comprimunt, ne praevaleant, et potenter expugnant.

Narrator. Quanta nobis angeli sancti bene-
* *f. 130r* ficia * suo ministerio conferant, si colligere tentavero testimoniis Scripturarum, scio quia multiplicitatem eorum nequaquam sufficio perscru-

[1] Cf. S. Gregorius, *Dial.* II, c. 2. (Migne, PL 66, 132).

tari, quippe etiam qui et ipsa cognita arbitror Deo soli. Quam tamen tribulatis nobis, peccantibus etiam aut tentatis, utiliter et potenter assistant, pauca quaedam per exempla Scripturae proponam. In tentatione namque laborantibus auxilium nobis angeli efficaciter subministrant, sicut in Exodo [1] congrue legimus figuratum. Praecedentibus enim Aegyptiis Israëlem, *tollens se angelus Domini, qui praecedebat castra Israël, et cum eo columna nubis, stetit inter castra Aegyptiorum et castra Israël.* Quid enim per castra Aegyptiorum et Israël, nisi vitiorum et virtutum certamina designantur? in quibus certe praeliantibus nisi columna gratiae et praesidium angelicae potestatis nobis assisteret, conceptus Pharao et in scandala suscitatus fugientem Israelem toto simul ore multotiens devoraret. Ubi quoque signanter adicitur: *Erat nubes tenebrosa,* supple *per diem, et illuminans noctem;* * per diem quippe tentatio prosperitatis, per * *f. 130v* noctem vero adversitatis incursio designatur. In tentatione ergo prosperi nubes obtenebrat, ne conspectis bonis nostris nos inaniter gloria ra-

[1] Exod. XIV, 19sq.

piat, sed quasi caecutiens animus [a] virtutes proprias ignorando proficiat; in adversis vero ignis gratiae nos confortans illuminat, ne mala tantum [b] sua considerans in desperationis barathrum mens descendat.

Rursus autem, si despecto patrocinio angelico voluntas improba tentatori consenserit, nec sic quidem angelica bonitas deserit delinquentes, sed in carcere criminum constitutos educere satagunt et occasiones praeparant evadendi. Quorum speciem recte Petrus insinuat, qui per [c] angelum ab Herodis carcere liberatus evasit [1]. Quid enim *Petrus in carcere*, nisi peccator in conscientia remordente constrictus? qui nimirum *catenis duabus vinctus obdormit*, dum reatu commissionis et omissionis adstrictus, in peccati coeno exire dis-
* *f. 131r* simulans requiescit. Assi-*stente autem angelo *lumen refulget* in carcere, cum ministerio angelico illuminationem peccatorum accipit, ut cogitet de peccato. Secundario vero *latus Petri percutit*, cum affectionem eius commonet, ut doleat de commisso; ad confessionis quoque propositum *excitat*,

[a] C add. *ad*. [b] C *tamen*. [c] C om.

[1] Act. XII, 6 sq.

cum *velociter* ad surgendum peccatorem invitat. Ad exercitium denique poenitentiae exterioris inducit, cum lumbos *praecingere*, pedes per [a] affectum caritatis *caligis* praemunire, *vestimenta* quoque virtutum sibi *circumdare* et iter angelicum per caelestia desideria *insequi* admonetur.

Educto igitur a peccati carcere ministerio angeli peccatore, a poena quoque, quam culpis exigentibus [b] meruit, ipsum eruere aut eamdem saltem suffragiis nititur mitigare. Quod bene per significationem in Daniele [1] notatur, ubi tribus pueris in fornace conclusis apparens *angelus flammam ignis excussit*. Ubi patenter innuitur, quod poenarum nostrarum acerbitas mediantibus angelis vel ex toto tollitur vel, si exigente [c] iustitia ab eisdem penitus nos liberare non praevalent, refrigerium menti nostrae, ut sicut expedit * sustinere possimus, inspirant. Unde sequitur: *Fecit fornacis medium quasi ventum roris flantem.* — De hac ergo sollicitudine qua pro nobis invigilant, visionem quamdam fratri cuidam revelatam, sicut desideras, ecce retexam. * *f. 131v*

4. Frater quidam de Assisio, Petrus no-

[a] C om. [b] C *exientibus*. [c] C *exiente*.

[1] Dan. III, 49sq.

mine, cum apud Sanctum Leonardum in loco fratrum, qui Subpentonia [a] [1] dicitur, moraretur, nocte quadam in oratione persistens vidit stellam claritatis mirae radiantem, audivitque vocem tertio ipsum nomine proprio sciscitantem. Qui cum respondisset: « Ecce adsum », « ne timeas, inquit vox praedicta [b], veni mecum, surge et ostendam tibi, quae antea non vidisti ». Adhuc illo loquente, iuvenis ecce quidam apparuit sericis vestibus decoratus; surgensque continuo dictus frater, *sive in corpore sive extra corpus nesciens* [2], est secutus. Cum autem paululum processissent [c], vidit ante se puteum, de quo foetor intolerabilis exhalabat, et ex rupibus aquae flammeae descendebant, quibus multi videbantur immergi. Quidam enim verso [d] capite, quidam * a latere, quidam pectore, quidam vero posterioribus mittebantur in stagnum, fumusque teterrimus cum stridore maximo et clamore de puteo videbatur exire. Cum ductorem suum, ne eum propius duceret, exorasset, per viam alteram divertentes ad loca amoenissima devenerunt; in quibus omnes,

* *f. 132r*

[a] L *Subpentoma.* [b] C add. interl. [c] L *processisset.* [d] C *vexo.*

[1] Hodie castrum S. Eliae. [2] II Cor. XIII, 2.

qui aderant, cordis iubilo et altisonis vocibus concrepantes, laudes Domino mira vocum concordia persolvebant. Inter [a] quos etiam fratres multos nostri Ordinis dispositos vidit in medio, vestibus albis indutos, quorum carnes candidiores ceteris apparebant. Cumque quosdam ex vivis fratribus, quosdam vero ex mortuis ibidem exsistere cognovisset, desiderabat a corpore separari, ut [b] cum fratribus remanere valeret. Cui ductor ipsius ait: « Surge, eamus hinc ». *Exeuntes* autem *processerunt vicum unum. Et continuo* angelus dixit ei: « Nosti, quare huc venire et videre talia permissus es? » Qui respondit: « Nescio ». Cui angelus: « Vade, inquit, et confitere peccatum tale, quod in saeculo commisisti ». *Et hoc dicto* * *discessit angelus ab eo* [1]. At frater dictus in *se reversus*, vidit se in ecclesia constitutum, et prae timore peccati vel potius revelationis sibi factae gaudio confortatus, amarissime flere coepit. Ad cuius vocem expergefacti fratres ceteri festinantius accurrerunt et, enarrata per ordinem visione, multa consolatione in Domino sunt perfusi. * *f. 132v*

[a] C *in*. [b] C om.

[1] Act. XII, 10 sq. Cf. S. Gregorius, *Dial.* IV, c. 36.

Auditor. Non solum sedulitatis angelicae circa nos caritas ex hoc facto colligitur, verum etiam confessionis necessitas pariter demonstratur.

Narrator. De necessitate confessionis non abs re extimo vel breviter aliquid disserendum, cum profecto vix expresse valeat ex canone colligi Scripturarum, quod peccati individualis qualitatem teneatur quispiam sacerdoti de praecepto Domini confiteri. Quam necessaria sit confessio peccatori Salomon innuit, cum proclamat [1]: *Qui abscondit scelera sua, non dirigetur; qui autem confessus fuerit et reliquerit ea, misericordiam consequetur.* Absconsio igitur peccatorum a salutis itinere non confitentes inflectit, ut nequaquam *pedes* suos *in viam pacis* dirigant, qua
* *f. 133r* perfectae reconcilia-*tionis ad Deum foedus initur et *iustificati per gratiam* impii iustitia revelatur. In eo enim quod per confessionem [a] casum suum quisque poenitendo detegit, iustitiae fines se nimirum attigisse significat; quia iuxta prophetam [2]: *Dic tu prior iniquitates tuas, ut iustificeris*, et per Salomonem [3] *iustus* in principio

[a] C om. *p. c.*

[1] Prov. XXVIII, 13. Sequitur *a)* Luc. I, 79 et *b)* Rom. III, 24. [2] Isai. XLIII, 26. [3] Prov. XVIII, 17.

accusator sui fore describitur, ut, confessis ac spretis eis quae se commisisse meminerit, Dei misericordiam consequatur. Quod autem peccatorum confessio singularis necessario fieri habeat sacerdoti, congruenter innuitur in Levitico, ubi per sacrificia lege mandata expiationes peccatorum distinguuntur. Scriptum est enim [1]: *Anima quae peccaverit et unum quodlibet ex pluribus fecerit, in quibus peccare solent homines, convicta delicti pro peccato suo arietem immaculatum offeret et dabit eum sacerdoti iuxta mensuram extimationemque delicti; qui rogabit pro eo coram Domino, et dimittetur ei pro singulis, quae faciendo peccavit.* Si namque per arietis cornua cervicositas inobedientiae, qua peccando praeceptis divinis *obnitimur* [a], *designatur,* * recte aries im- * *f. 133v*
maculatus ad expiationem mandatur offerri, ut videlicet homo, qui per inobedientiam convictione conscientiae propriae aberrasse convincitur, sine macula peccati serio taciti aut certe propositi in altari poenitentiae salubriter immoletur. Qui nimirum sacerdoti iuxta mensuram extimationemque delicti tradendus praecipitur: quia peccati

[a] C *obnuttimur.*

[1] Levit. VI, 2 sq.

substantiam et eiusdem circumstantias sacerdos necesse cognoscere habet, ut *inter lepram et lepram* [1] discretione debita iudicare valeat et pro singulis, quae peccavit confitens, orationes Deo dignas, sicut plus vel minus poenitenti expedit, offerens intercedat [2]. — De hoc ergo confessionis debito visionem quamdam, si placet, enuntio, quam mulieri cuidam per fratrem quemdam nostri Ordinis, referentibus fide dignis, revelatam audivi [a].

5. Frater namque Gismundus, apud silvam de Melfia in loco quodam deserto a fratribus tumulatus, mulieri cuidam de provincia supradicta in somnis apparuit dicens illi: « Surge et vade ad monasterium Sancti Stephani de Ripa et dic
* *f. 134r* monacho, Tristagno [b] * nomine, ut corpus meum de silva extrahat, qua nunc iacet ». Cumque mulier, quod ipse iusserat, facere non curasset, nocte altera veniens ait ei: « Si non iveris ad monachum, ut dixi, taliter faciam te aptari, quod de loco ad locum iam non poteris te movere ». Dissi-

[a] C *audivi.* [b] C *Tristangno.*

[1] Deut. XVII, 8. [2] De hac quaestione cf. Alex. Hal. *S.* p. IV, q. 76, m. 2, a. 1, 2, 3 (ed. Lugdun. 1516), et S. Bonav. *IV Sent.*, dist. 17, p. I, a. 1, q. 4, et p. II, a. 1, q. 2 et 3.

mulante autem illa, quod mandaverat, adimplere, ecce veniens nocte tertia cum quibusdam fecit eam fortiter flagellari. Edocta ergo verberibus mulier verba tulit ad monachum, quae mandavit. Quibus auditis, surgens monachus festinanter et ad fratres veniens pro munere postulavit, ut corpus praedicti fratris sibi transferre permitterent in locum alium condecentem. Fratres autem humilitatis causa renuentes, assentire monacho nullatenus voluerunt, ne videlicet praesumptioni sibi posset [a] impingi quasi fratris defuncti *fimbriam magnificare* [1] curarent.

Interim autem vice quarta sicut prius frater Gismundus apparuit mulieri, videbaturque cum eo fratrum maxima multitudo totum aërem replevisse. Interrogante autem ea, quinam essent, * respondit: « Hi sunt fratres mei, qui nunc * *f. 134v* Dei misericordia liberati paradisum introibunt ». Respiciens autem mulier ex obliquo vidit lacum plenum sanguine et in ipso multitudinem hominum cruciari, inter quos vidit Tristagnum monachum ad gulam usque immersum [b]. Unde condolens dixit fratri: « Cur non adiuvas amicum

[a] L *possit.* [b] C *admersum.*

[1] Matth. XXIII, 5.

tuum? » Qui respondit: « Non possum, quia peccatum quoddam negligenter omisit confiteri, pro quo sine dubio in hunc locum veniet tormentorum, nisi confessionis virtute deleat, quod commisit ». Cumque peccati nomen et genus pariter [a] mulier requisisset ab eo, respondit: « Dic fratri Tristagno, ut confiteatur periurium, quod commisit pro muliere quadam, dum adhuc esset in habitu saeculari, tali tempore, tali loco ». Veniens igitur mulier ad monachum, dixit ei: « Sic et sic vidi te [b] cum aliis in lacu sanguinis suffocari pro peccato periurii, quod tali tempore pro muliere tali contra Dominum commisisti; dixitque mihi frater Gismundus, quod nisi peccatum illud confessione deleas, paratam tibi poe-
* *f. 135r* nam, quam vidi oculis, * non evades ». Audiens haec [c] monachus mox compunctus, verum esse recolit, quod mulier nuntiabat; unde peccatum illud non solum sacerdoti, verum etiam coram populo ad Dei gloriam confessus est, et ut pariter innotesceret plebi fratris sanctitas memorati.

Tractantibus ergo fratribus de translatione corporis dicti fratris et cogitantibus illud coram

---

[a] L add. *et.* [b] L *dixit ei sic et sic: « Vidi* [C *vidit*] *te.* [c] L *hoc.*

altari decentius sepelire, audita est vox de caelo dicens: « Quid inutiliter cogitatis ? Non vult frater sepeliri, ubi foveam praeparastis, sed in ecclesia Sancti Stephani de Ripa requiescere delectatur ». Quod cum fratres audissent, confestim pro monacho transmittentes, sicut petierat, translationem corporis concesserunt. Festinans ergo monachus amictum quemdam diligentius attulit praeparatum, in quo corpus fratris involveret ac portaret. Interim autem saepedictus frater apparuit mulieri dicens illi: « Vade, et dic [a] fratri Tristagno, quod corpus meum nequaquam panno, quem paravit, involvat, sed pergens ad silvam frondes lauri ac myrti colligat, quibus humiliter * involutum transferat corpus meum ». Quod cum monachus iuxta verbum mulieris effectui mancipare curaret, frater quidam, fratris Gismundi socius, interim dentem unum et os digiti latenter abstulit et abscondit. Unde frater Gismundus iterato apparuit mulieri dicens: « Vade et dic monacho, quia [b] corpus meum integrum non portavit: deficit enim os unum digiti et dens unus ». Quod cum monachus fratribus nuntiasset, admirantibus cunctis, guardianus mandavit per obe-

* *f. 135v*

[a] C om. *et dic.* [b] L *quod.*

dientiam fratribus universis, ut, quicumque tulisset aliquid, restitueret sine mora. Timens igitur frater obedientiae contraire, quod pro devotione ac reverentia fratris acceperat, statim monacho resignavit. Quod accipiens monachus, cum ingenti gaudio ad monasterium rediit et cum reliquo corpore, quod receperat, honorificentia debita sepelivit.

Auditor. Bene valet [a] fidelibus, ut adverto, amicorum Dei familiaritatem in praesenti caritatis sibi officiis comparare, qui non solum in
* *f. 136r* corpore constitu-*ti beneficia multa dilectis suis exhibent, sed defuncti etiam apud Deum in necessitatibus eorum utiliter curam gerunt.

Narrator. Cum Salvator, Evangelio teste [1], filios lucis admoneat dicens: *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut, cum defeceritis, recipiant vos in aeterna tabernacula,* manifeste declarat, quam lucrosum sit amicitias servorum Dei sedulitatis obsequiis assequi, quibus mediantibus aeternae mansionis ingressum pronuntiat impetrari. Constat autem, quia, si et illa quae sunt [b] aeternaliter permansura indigentibus

[a] CL *valde.* [b] CL om.

[1] Luc. XVI, 9.

miserante Deo compartiri queunt, illis potissime comparabunt [a] qui operibus misericordiae dediti in hac vita propitiationem sibi fieri meruerunt, dicente Domino [1]: *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.* Quod ut [b] ita exemplo sensibili fore cognoscas, quiddam refero, quod beato Francisco mediante militi cuidam contigit, ut audivi.

6. In castro namque Campaniae, quod Zanchatum dicitur, miles quidam, Girardus nomine, * per menses quatuor oculorum exstitit officio pe- * *f. 136v*
nitus destitutus. Accidit autem, ut duo fratres per castrum illud transitum facientes ad domum militis supradicti diverterent et ab eius familia multam humanitatis [c] gratiam invenirent. Recedentes vero fratres a domo eius, ad locum quemdam fratrum v miliaribus inde distantem, eadem die venerunt. Nocte igitur insequente, beatus Franciscus uni eorum per visionem apparuit dicens illi: « Surge, frater, et revertere ad domum [d] militis, in qua hospitalitatis gratiam accepisti, dicasque illi, quod pro peccatis suis, quae confi-

[a] CL om. [b] C bis *ut.* [c] C *humalitatis*, L *hospitalitatis.* [d] C *do.*

[1] Matth. V, 7.

teri neglexit [a], poenam patitur caecitatis, quodque deterius est, aeterni cruciatus commanet eum poena, nisi poenitentiam egerit de commissis ». Expergefactus autem frater et enarrata socio per ordinem visione, facto mane, sine morae dispendio cum eodem ad domum militis est reversus. Cumque, adventu eorum cognito, dictus miles de causa itineris requisisset, frater, cui sanctus apparuit, sic respondit: « Nescientes quidem factum nuper transivimus locum istum, sed beatus Franciscus
* *f. 137r* nocte praeterita mihi comparuit et * causam poenae, propter quam caecitatem pateris, revelavit; talia enim et talia peccata commisisti, quae per negligentiam distulisti hactenus confiteri ». Quibus auditis, confundi coepit non mediocriter et compungi, flensque largiter coram fratre peccata sua humiliter est confessus. Confessione autem facta necnon et satisfactione recepta, vovit Deo quod, si eum sancti Francisci meritis liberare clementius dignaretur, sepulcrum eius cum muneribus et honorificentia debita visitaret. Voto igitur sic emisso coram pluribus, qui adstabant, oculorum lumen, quod per menses quatuor perdiderat, illico per eiusdem merita reaccepit [1].

[a] C *negressit*.

[1] Idem omnino factum, aliis licet verbis, narrat iterum

Auditor. Iure quidem veneratione multa miles ille memoriam sancti patris excolere tenebatur, cui dignatione tanta utriusque hominis visum contulit [a] ad salutem.

Narrator. Cum, psalmista teste [1], cognoverimus caros Dei honorificentia plurima venerandos [b], licet nobis beneficia [c] nulla praeberent, eo tamen ipso quod amicos Dei fore cognovimus, reverentiae et devotionis eis impendere caeremonias ratio suggerit * et auctoritas evangelica [2] pariter * *f. 137v* hoc edicit [d]: *Qui vos recipit*, inquit [e], *me recipit.* Quid ergo mirum, si a mortalibus et eorum suffragiis indigentibus honore dignos existimas, quos Deus ipse mirificat? Ipsi quoque sancti nihilominus sibi invicem munia venerationis impendunt. Quod ut verum esse non dubites, factum quoddam admiratione dignissimum, si patienter audias, enarrabo, quo sanctos ad invicem, ut praedixi, deferre sibi reverentiam comprobabis.

7. Erat namque frater quidam de Reati parti-

---

[a] C add. *adtulit.* [b] L *veneratos.* [c] C *beneficentia.* [d] L *dicit.* [e] C add. interl.

Fr. Thomas Celanen., l. c., n. 117. Cf. S. Bonav. *Leg. mai.*, Miracula, § VII, n. 7. [1] Ps. CXXXVIII, 17. [2] Matth. X, 40.

bus, Rainaldus nomine, vir mirae perfectionis et vitae, qui, cum die quodam iuxta civitatem reatinam cum socio pergeret, obvium habuit caecum unum; cumque, ductore praeambulo indicante, caecus agnosceret fratres comminus advenisse, salutavit eos genu flexo super terram ac signum crucis humiliter super oculos sibi fieri postulavit. Frater vero Bernardus, comes eius, caeci fidem et fratris pariter attendens sanctita-
* *f. 138r* tem dicto fratri Rainaldo * mandavit per obedientiam salutarem, ut caeco faceret, quod petebat. Statim autem super caeci oculis signo facto, coram ipsis lumen accepit et fugentium fratrum vestigia insecutus, terram deosculans proclamabat: « Isti sunt vere sancti et amici Dei, qui, cum caecus exsisterem, mihi oculos reddiderunt ». Modico itaque tempore decurrente, interim, cum dictus frater infirmatus morti conterminus appareret, fratres plures de provincia ipsum intime diligentes ad custodiendum eum circa transitum convenerunt. Cumque iam caelo videretur affinis, coepit corpus eius sudore perfundi, et apparuerunt in facie eius et habitu quasi flores ad instar pruinae [a] desuper concrescentis. De quo fra-

[a] C *pluine.*

tres qui aderant plurimum admirantes, sudorem huiusmodi saepius extergebant; sed eodem iterum recrescente, usque post obitum in ipsius corpore perduravit, et cum eo positus est in sepulcro.

Qui cum per triennium ibidem integrum quievisset, contigit fratrem alium perfectionis magnae in eodem loco vita defungi; in cuius transitu tanto * domus fratrum odore respersa est, ut non * *f. 138v* solum fratres interius exsistentes, verum etiam populi de remotis eius fragrantiam [a] persentirent. Aperto igitur dicti fratris Rainaldi tumulo, fratris alterius corpus cum eodem condere [b] statuentes, invenerunt corpus eius triennio iam sepultum ita cancellatis manibus inconsumptum acsi die ipsa fuisset humatum; cumque pollinctores, ut locum darent corpori tumulando, movere ipsum enixius attentassent, minime potuerunt. Quod cum quidam de parantibus sepulturam fratribus nuntiasset, decreverunt ponere mortuum super mortuum in sepulcro. Venientibus igitur fratribus cum funere ad sepulcrum, corpus [c] fratris Rainaldi, quod sub terra manserat annis tribus, resedit [d] inferius tamquam vivum, dansque locum fratri versus partem occidentalem in fovea [e] se

[a] C *franciam.* [b] L om. [c] CL om. [d] CL *descendit.* [e] C *foveam.*

erexit, et quamdiu dici posset oratio dominica, sic permansit; itemque, videntibus cunctis tam [a] fratribus quam saecularibus qui adstabant, versus partem orientalem se ex latere declinavit, ac tamdiu ita perstitit quoadusque corpus fratris
* f. 139r alterius * in eadem secum fovea clauderetur. Quod videntes populi cum fratribus, qui adstabant, miscentes cantica lacrimis laudaverunt omnipotentiam Conditoris [1].

Auditor. Mira valde sunt ista, quae audio, et ex facti magnitudine magnum pariter christianae spei erigunt fulcimentum, cum videlicet corpus hominis tot annorum spatio iam sepultum futurae gloriam resurrectionis insinuat et ad statum primae sortis efficaciter assequendum per evidentia signa tam patenter invitat [b].

Narrator. Licet enervis fidei proprium et *adulterae generationis* indicium sit sensibilia *signa requirere* [2] et eisdem abundantius quam Scripturae testimoniis assentire [c], Auctor tamen fidei, ne quid omitteret de contingentibus ad salutem, signum Ionae prophetae illa quaerentibus

[a] CL om. [b] L *invitant.* [c] Cf. supra, p. 5.

[1] Simile prodigium narrat S. Gregorius, *Dialog.* III, 23. (Migne, PL 77, 276). [2] Cf. Matth. XIII, 39.

obicit; et innumera sparsim per evangelicae latitudinis campos virtutum gesta multiplicans quid aliud operatur, nisi quod [a] ad invisibilia [b] credenda fidei nostrae consensum allicit et in regni sui [c] filiis revelandam gloriam [1] cordibus inserit electorum? * Saepe vero, ne fidei meritum vacuari sinat, iuxta quod scriptum est [2], *in manibus* suis *lucem* futurae scilicet claritatis *abscondit;* itemque ne expectationis desiderio fatigata spes torpeat, *praecipit ei, ut* signo aliquo manifesto *rursus adveniat,* ac per hoc *amico suo annuntiat de eadem, quod* futura *possessio* [d] *eius sit, et* quod *ad eam* statuto tempore *possit ascendere.* * f. 139v

8. Hinc est enim [e], quod frater quidam sacrae contemplationi deditus, Rollandinus nomine, de Florentia, cum die quadam intrasset ecclesiam ad orandum, subito dum orationis prolixitas tenderetur, apparuit quidam solis radius super altare descendens, et ecce vidit puerum in radio memorato [f] super altari stantem mira pulchritudine decoratum, qui coronam auream manu ge-

[a] C om. *o. n. q.* [b] C *invisibili.* [c] C *regnis* pro *r. s.* [d] C *possio.* [e] C add. interl. [f] C *merato.*

[1] Cf. Rom. VIII, 18. [2] Iob XXXVI, 32 sq.

stans, alteram quoque illius similem gemmis insertam capite deportabat. Vocavitque fratrem ex nomine dicens: « Frater Rollandine, perseverare stude finaliter in negotio quod coepisti, quia co-
* *f. 140r* rona haec, quam manu teneo, parata * est tibi ». Statimque visione dicta ab eius oculis disparente, stupefactus frater exiens ab ecclesia sacerdotem unum de fratribus adit et eidem cum contritione multa supplicavit dicens: « Adiuva me, pater, quia timeo, ne permiserit Dominus illudi mihi; nam sic et sic vidi et, quae praedicta sunt, promisit mihi ». Sacerdos, intellecta visione, fratrem studuit ad boni perseverantiam in Domino confortare, et de promissione facta non *altum sapere, sed timere* [1].

Auditor. Cum tantae, sicut refers, familiaritatis gratiam et futurae gloriae praeparatam fratri coronam Dominus per angelum, sicut extimo, revelare dignatus sit, miror, quare de visione facta pertimuit, cum potius exultare in Domino et gratias agere debuisset.

Narrator. Si, iuxta Pauli sententiam [2], *ipse satan transfigurat* [a] *se in angelum lucis,* ut in-

[a] C *transfugurat.*

[1] Rom. XI, 20. [2] II Cor. XI, 14.

cautos certe secum pertrahat in ruinam, non mirandum valde, si frater timuit, qui forsitan saepe fraudes eius expertus nequaquam ipsius astutias ignoravit. Norunt quippe flexuosis eius insidiis * assueti promittenti [a] nequaquam [b] cre- * *f. 140v*
dere nec cedere comminanti, sed eadem mentis constantia blandientem sustinent et terrentem derident. Alioquin enim si perfecti viri *omni spiritui* cito *crederent* aut *spiritus, si ex Deo sunt*, non *probarent* [1], multos saepe in errorem praesumptionis abduceret adulatrix lingua serpentis, nonnullos vero quasi stellas mente licet caelestibus inhaerentes desperationis ad ima detraheret virulenti cauda draconis. Interdum vero si ad haec ipsa discernenda, quae diximus, ingenium hominis Deus impar fore conspexerit, magisterio saepe docet angelico, quid in talibus agere debeamus.

9. Nam cum frater quidam, Andreas nomine, apud Adriam in pennensi dioecesi moraretur, contemplationis sanctae et devotionis studiis operam satagebat inferre. Qui cum nocte quadam more solito meditationis suae deliciis potiretur,

[a] C *permittenti.* [b] L *neque*, C *nequa.*

[1] I Ioan. IV, 1. Inferius cf. Apoc. XII, 4.

audivit vocem dicentem sibi: « Ut quid te, miser Andreas, vigiliis et ieiuniis et afflictionibus aliis sine causa confundis? vere scias te damnationi
* *f. 141r* perpetuae * mancipandum, nec unquam tantum laborare poteris, quod salveris ». Turbatus igitur ex auditu et ex intimis lacrimas cum singultu vehementi producens, coepit cogitare diutius, quid hoc esset. Dumque inter spem metumque constrictus cogitatione sollicita fluctuaret, vox de caelo facta personuit [a] dicens illi: « Ne timeas, Andrea, nec vox prima te terreat, quam audisti! verax enim esse non poterit, qui mendacii ab initio pater fuit [1]. Confortare igitur in Domino, cui fideliter [b] adhaesisti, et in bono, quod coeperas, persevera, quia salus tua, si permanseris, in proximo est ventura; quinta namque die primae hebdomadae quadragesimae iam futurae de hac valle miseriae vocaberis ad coronam ». Adveniente vero [c] tempore [d] praefinito, convocavit fratres qui aderant, rogans eos ut assisterent decedenti, confidenter eis annuntians quod hora [e] venerat mortis suae. Cum visionem prae-

[a] C *pernuit.* [b] L om. [c] L om. [d] C om. [e] C om. *q. h.*

[1] Cf. Ioan. VIII, 44.

dictam fratribus retulisset, ostendit eis pariter eam scriptam, sicut [a] in libro digesserat manu * sua. * *f. 141v* Facta igitur confessione generali, coepit officium commendationis defunctorum fidelium recitare, fratribus ceteris prosequentibus cum eodem; quo peracto, naturae solvens debitum, coram eis ad caelestia regna feliciter transmigravit.

Auditor. Sicut exemplo duplici iam monstrasti, perseverantiae virtus [b] magno laudis praemio coronanda est, quae *supernae vocationis bravium* [1] sola complectitur cum [c] effectu.

Narrator. Vere, sicut asseris, multa perseverantiae laus debetur, utpote qua praesente, quidquid [d] adversitatis ingruerit, nulla potest instantia praevalere virtuti; et eadem absente, quantacumque profectus altitudine boni operis structura surrexerit, ruinae patitur detrimentum. Non enim omnis, qui certaverit, sed *qui* [e] *legitime certaverit, coronabitur;* nec *currentes omnes, sed unus* tantum indefesse [f] perveniens *bravium accipit* pro mercede [2]: ut advertas, quoniam [g] nihil prosit ad perfectionem victoriae spiritalis [h] arma

[a] C *si.* [b] C *virtutis,* L *perseverantia virtutis.* [c] L om. [d] C add. *ad.* [e] C om. [f] C *indefense.* [g] C *quam.* [h] L *spiritualis.*

[1] Philipp. III, 14. [2] II Tim. II, 5; I Cor. IX, 24.

militiae christianae ferventius * assumpsisse, nisi etiam [a] *pro iustitia* aut obedientia quisque studeat *ad mortem usque agonizando* [1] salubriter perdurare. Quamquam tamen saepe Dominus, cum quosdam conspicit imbecilles prae gravitate proelii et timoris inertia arma proicere ac scipsos ultro hostibus mancipare, abundantia pietatis et gratiae fugientes revocat et quodammodo secum stare compellit, ut ita dixerim, vel invitos.

* *f. 142r*

10. Contigit namque fratrem quemdam, Ioannem nomine, de Fulgineo, apud locum Sancti Terentiani iuxta montem Sciraptim [2] magna diutinae tentationis angustia fatigari ita, quod perurgente [b] stimulo tentationis cogitaret [c] modis omnibus *ad desideria saecularia* [3] retroire. Cumque die quadam tentationis instantia superatus arripuisset iter, ut Fulgineum applicaret, pervenit ad castrum Maliani, quod iuxta flumen dictum [d] Tiberis imminet valli magnae. Constitutus igitur super collem, quo ad vallem tenditur memoratam, * respexit, et ecce vallis tota quasi lacus quidam plenus sanguine videbatur; super quo

* *f. 142v*

[a] C *enim.* [b] L *prae urgente.* [c] C *cogitare.* [d] C *sicut.*

[1] Eccli. IV. 33. [2] I. e. mons Soractes. [3] Gal. VI, 1.

stupefactus frater vehementer extimuit, nec omnino ultra transire praesumens, proiecit se illico super terram. Fratres vero loci illius exitum perpendentes orationi protinus se dederunt, mittentes duos qui erroneum revocarent, si quo modo Dominus misericorditer eius animum tetigisset. Insequentes igitur praecedentis vestigia festinanter, viderunt eum super dicti collis verticem solitarium consedisse. Accurrentes autem ad eum iniectis manibus profugum detinebant et ad locum, de quo exierat, eumdem cum gaudio reduxerunt. Qui confestim poenitudine ductus culpam suam humiliter confessus est et, qualiter eum Dominus exterruerat [a], per ordinem fratribus nuntiavit.

Auditor. Patet certe, quanta benignitas, quanta caritas in fratribus exstitit primitivis, qui non solum consolari spiritu tribulatos, verum etiam tentationum pondere desperatos orationis instantia revocare, revertentes quoque *in spiritu* * * *f. 143r* *lenitatis* [1] suscipere studuerunt.

Narrator. Cum Salvator dicat [2]: *Bonus homo de bono thesauro prŏfert bona,* constat necessarie

[a] C *exterrua.*

[1] Tit. II, 12. [2] Matth. XII, 35.

ut apud se quilibet moribus aut studiis invigilet. Si nimirum ex fructu operis manifestaret [a] primitivam illam beati Francisci scholam quam [b] spiritus caritatis et devotionis plenius occupaverat, quid nisi pietatis et compassionis [c] opera de thesauri boni cespite germinaret? Nos vero plus [d] iustitiae sequimur speciem quam virtutem ac pharisaica [e] contra culpas delinquentium praesumptione tumentes, misericordiae viscera exuimus impudenter, dum concussam saepe fragilitatis arundinem immiseri cordis turbine redargutionis tanquam *parietem inclinatum et maceriam depulsam* [1] impellimus ad ruinam, et spirantem adhuc qualemcumque vitae correctioris igniculum poenae gravioris inflictione [f] quasi *linum fumigans* [2] nitimur suffocare. Non est enim ista forma iustitiae quam magister Christus instituit, non censurae districtio quam servandam opere
* *f. 143v* commendavit. Licet enim flagello de * funiculis coaptato percusserit [g] facientes ea, quae non conveniebant in templo fieri corporali, obstinatos

---

[a] C *manifestet.* [b] C *quia.* [c] C *passionis.* [d] C *nos vero qui plus magis* pro *n. v. p.* [e] C *pharisiaca.* [f] C *inflictionem.* [g] C *protulerit.*

---

[1] Ps. LXI, 3. [2] Matth. XII, 20.

qui resistere sibi audent [a] incorrigibilis malitiae conterens, certe significans atrocioribus debere suppliciis castigari; idem tamen ipse mulierem peccatricem universis vitiis maculatam necnon et adulteram corporali nece plectendam iudex mitis [b] absolvit, uni tantum pacem pectoris, alteri vero cautelam contra recidivum vice satisfactionis indicens. At nos, inquis [c], Christi iniurias et populo scandala vindicamus, permittentes potius ovem unam morbidam ruere quam corruptionis suae vitio gregem Domini universaliter contaminare sinamus. Sed si Christi iudicia, sicut asseris, iudicamus, cur quem Christus poenitentem recipit, nos econtrario absque spe veniae condemnamus? aut si populi aedificationem quaerimus, cur ad satisfactionem debitam non admittimus peccatorem, ut sicut publice occasionem populis ruinae praestitit, ita etiam manifesta poenitentia de commissis doceat se dolere? Sed si, quod verius extimo, famam nostram in * hoc * *f. 144r* facto defendimus et cautelam contra scandala ne accidere valeant procuramus, meminisse debemus, quia nemo pluris virtutem extimat, nemo magis illi devotus exstitit, quam qui boni viri

---

[a] C om. [b] C *mitti.* [c] C *inquit.*

famam perdidit ne perderet conscientiam, conscientiam autem dico non tantum suam, sed etiam alienam. At tu inquis: Quomodo perdo conscientiam, eius scilicet, qui et aliter salvare se potest? Plane: licet causam perditionis alterius necessariam exhibere non possis, occasionem tamen fragili [a], ut in pluribus consequentem, desperationi proximam reliquisti, cum praesertim ad talia consuetus exstiterit et ad communem arbitrii tui legem offerat se paratum. Alioquin enim si eum, qui emendationem spondet, ad scandala noveris assuetum et correptum saepe reperis in similia recidisse, vel forte nequaquam poenitudine cordis sui, sed potius necessitate coactus aut animo committendi peiora, sicut probabiliter extimas, petierit reconciliari, licet ex abundanti ipsius salutis desiderio misericordiam tribuens
* *f. 144v* bene facias indulgendo, propter ea tamen * quae superius memoravi, si eiusmodi non admiseris revertentem, salvo iudicio melioris, te arbitror non peccasse. — De hac ergo, quam praediximus, caritate fratrum et misericordia circa lapsos audi quiddam [b], quod, beato Francisco adhuc superstite, fratri cuidam legitur contigisse.

---

[a] C *flagili*. [b] L *quoddam*.

11. Erat nempe in ministratione pennensi frater quidam, Petrus nomine, de castro Sancti Heritii oriundus, qui multo admodum desiderio ferebatur paterna limina visitandi; sed cum saepe licentiam hoc agendi expeteret a ministro, nec ullatenus, quod optabat [a], obtinere valeret, ait: « Vadam, omnino vadam, et videbo, quis me amplius a proposito retardabit ». Statim autem iter arripiens exivit locum, fratresque blanditiis insequentes recedentem de itinere conati sunt disturbare [b]; sed cum nihil omnino agere potuissent, orationi protinus se dederunt mittentes fratres duos post vestigia fugientis, ut vel eum forte reducerent aut, quid etiam vadenti contingeret, nuntiarent. Veniens igitur frater dictus ad exitum vinearum vehe-*menter somno * *f. 145r* corripitur, nec ulterius transire permissus in terram cecidit et dormivit. Ecce autem beatus Franciscus adhuc in carne vivens apparuit dormienti dixitque ei: « Quare tu *iugum* obedientiae *confregisti* [1]? Revertere ad fratres tuos ». Dissimulante autem eo nec redire volente, virga quam manu gerebat renuentem fortiter verberavit. At

[a] C *octabat.* [b] C om.

[1] Ier. II, 20.

ille dolore verberum fortiter excitatus, quem corpore sentiebat, ad fratres illico est reversus et fraterna compassione receptus, quod sibi per visionem rite contigerat [a] enarravit.

Auditor. Ex inflicti doloris aculeo datur advertere, quanti periculi res exsistat obedientiae limites praeterire.

Narrator. Ex abundanti valde est facile [b] per exempla Scripturae inobedientiae poenas inflictas ostendere, quam paene nusquam Dominus in praesenti etiam permisit impune penitus [c] pertransire, quamvis magis comparatione clarescit. Ex facti huius [d] similitudine colligant obedien-
* *f. 145v* tiae filii rationem, quam * necessarium nobis est quamque divinae consonum dispositioni praeceptis obtemperare maiorum, qui iuxta Paulum [1] *pro* nobis *invigilant rationem* Domino *reddituri*. Quae quidem obeditionis causa tam necessaria licet minime cogitantibus occurrisset, ipsa tamen institutio creaturae ceteris [e] legibus luminata [f] nos

---

[a] L *contigerat, rite* pro *r. c.* [b] CL om. [c] C habet hic lacunam mediae lineae; textum construxi supplendo *pertransire, quamvis,* et post *clarescit* punctuando. [d] L *huiusmodi.* [e] L *certis.* [f] C *liminata,* L *limitata.*

---

[1] Hebr. XIII, 17.

edocet superioribus obsequendum. Est enim, iuxta Sancti sententiam, obedientiae virtus naturae bene conditae [a] connativa, qua creatura quaelibet voluntati et nutibus sui paret Auctoris; qua nimirum, rationali animo fideliter praesidente, dum superiori suo debitum usquequaque pro modo conditionis exsolvitur, in creaturis inferioribus nihilominus subiectum, cum expedit, reperitur. Cuius rei signum ut facti veri similitudine comprehendas, facta duo mira valde retexam, quae revera a testibus fide dignissimis intellexi.

12. Fuit namque [b] in Hispaniae partibus frater quidam, nomine Benincasa, natione tudertinus, qui, cum per obedientiam salutarem [c] necessaria fratribus procuraret [d], ova quaedam perquisita detulit in canistro; cumque * montis cuiusdam verticem * *f. 146r* iter faciens pertransisset, fatigatus ascensu collis super ripam montis forte resedit, quae valli profundissimae imminebat. Vas ergo cum ovis incaute positum tantò fortius coepit ruere in declivum, quo rotundius erat et labile, nec ullum [e] penitus obstaculum inveniret. Dolens autem frater per incuriam et negligentiam sui eleemosynam

---

[a] C *condita.* [b] L om. [c] C *saluta.* [d] C *procrearet.* [e] L *nullum.*

deperire, praecepit vasi per obedientiam, ut cursum figeret nec ulterius procederet in profundum. Quo dicto, confestim calathus, quasi vim praecepti fratris attenderet, montis restitit in declivo, quoadusque frater veniens ova omnia cum vase integra collegisset.

13. Item frater alius de Assisio, Theobaldus nomine [1], cum in loco Sancti Laurentii iuxta civitatem Ortensem trans Tiberim moraretur, iniuncta sibi obedientia a fratre, qui praeerat, ut confestim ad praedictam civitatem pro quibusdam necessariis properaret, ad Tiberim veniens manda-
* *f. 146v* tum patris satagebat exsequi festinanter. * Cumque naviculam minime reperisset, memor obedientiae, sed periculi immemor, elevata tunica super aquas pedibus propriis ambulavit, et clamantibus et mirantibus hominibus pariter et mulieribus circa flumen adstantibus ne transiret; cumque mirae altitudinis aqua foret, ubi transivit frater dictus, vix usque ad poplites aqua fluminis est perfusus. — Alio quoque tempore, cum frater idem pro quaerendis piscibus missus foret, nec aliquos invenire potuisset, quos prece vel

[1] Forsan iste est fr. Tebaldus, cuius duae narrationes habentur in Cod. S. Antonii de Urbe, n. 58 et 72. Cf. *Arch. Francisc. Hist.* XII, p. 382 et 389.

pretio reportaret, inclinans se manum misit in fluvium confidenter, scrutatusque duabus vicibus sub arena, utraque vice piscem unum longitudinis palmi unius extraxit et domum fratribus reportavit.

Auditor. Multa divini praesidii confidentia cor istius fratris obtinuit, qui pro bono obedientiae tantae profunditatis fluvium non timuit transmeare.

Narrator. Licet, teste Scriptura [1], noverimus *obedientiam victimis anteponi* et quod *obediens* merito *victorias* proloquatur, * refert tamen non * *f. 147r* parum quid in factis [a] obedientiae, quantacunque perfectione praeemineat, quisque debeat attentare. Ea enim quae naturae leges transcendunt, aut iuxta cursum eius et ordinem impossibilia iudicantur, nisi forte cum fidei pietas hoc requirit, non tam obedientis confidentiam quam tentantis Deum insipientiam recto vocabulo nominaverim. In his quoque quae moris sunt, sub praetextu obedientiae illa similiter ex iudicio agere, quae vel sibi manifesti causam periculi aut proximo etiam iusti occasionem scandali subministrant, excepta veritate vitae, iustitiae pariter et doctri-

[a] C *sanctis.*

[1] I Reg. XV, 22; Prov. XXI, 28.

nae, plus exacerbationis iram exaggerat quam propitiationem gratiae Salvatoris acquirat. Quia tamen saepe simplicibus in fervore spiritus ac fidei puritate patrantibus haec praedicta Deus ipse misericors ex abysso iudiciorum nobis occulta fine laudabili eorumdem vota prosequitur, nequaquam ideo a discipulis veritatis, qui *novere mysteria regni Dei* [1], talia extimo in faciendi con-
* *f. 147v* sequentiam pertrahenda nisi forte vel raro, * ut diximus, quando veritas [a] fidei christianae requiritur ab adversis, praesertim cum periculum [b] imminet infirmorum, ne videlicet soli Deo debitam gloriae claritatem inaniter usurpantes, merito decidant in derisum aut sibi ipsis manum temerae [c] praesumptionis iniciant vel certe proximos indiscreti operis obice ad ruinam mortis impellant.

Auditor. Ex eo valde magnitudo fidei dicti fratris apparuit, quod manu propria sub arena fluminis pisces reperit, quos fratribus indigentibus apportavit.

Narrator. Magnam plane, sicut asseris, exstitisse arbitror fidem fratris; utrum tamen eius fides, an fratrum certe necessitas hoc meruit,

[a] C *virtus.* [b] C *periculis.* [c] C *tenere.*

[1] Marc. IV, 11.

quis audeat definire? Saepe enim ministerio unius agitur, quod alterius meritis impetratur. Sic namque, pugnante cum Amalec Israele, non industriae aut virtuti eius belli victoria contribuitur, sed signanter adicitur [1]: *Cum levaret manus Moyses, vincebat Israel; si autem paululum remisisset, superabat* * *Amalec.* Acsi aperte * *f. 148r* dicat, quod si [a] pugnantes contra se Amalecitas Israel superabat [b], hoc nequaquam suis viribus, sed oratione prophetica impetrabat. Sic quoque minister Elisei primitiarum panes paucos coram populo posuit, quos oratio prophetalis ad sufficientiam multitudinis ampliavit [2]. Potuit igitur utrumque sic [c] fieri, ut et fratris fides pisces manu sub arena concluderet, aut orantium domi fratrum multa necessitas apud Deum hanc provisionis gratiam obtineret. Ut enim magnam suorum pauperum Deo curam inesse non dubites, punitae iuste cuiusdam mulieris avaritiam erga fratres edicam facto quodam mirabili [d], quod in partibus circa Romam mari finitimis memini contigisse.

---

[a] CL om. [b] CL *superat.* [c] CL om. [d] CL *miserabili.*

---

[1] Exod. XVII, 11. [2] IV Reg. IV, 42 sq.

14. In castro namque Piperni, cum tempore famis mulier quaedam, Romana vocabulo, petentibus fratribus eleemosynam ab eadem de pane, quem eodem die coxerat, partem aliquam concedere noluisset, nihil omnino se habere respondit, quod pauperibus erogare valeret. Recedentibus igitur fratribus more suo, assumptum * panem misit mulier nato suo in cultura vineae laboranti. Quem cum iuvenis incidisset, ut comederet post laborem, praedictus panis mixtus sanguine est repertus. Domum itaque rediens a labore matrem alacriter arguit et eidem panem protulit, quem cruore mixtum transmiserat laboranti. Volens autem mulier feniculos emere de hoc pane, sed cum totus appareret, ut diximus, cruentatus, quod perperam egerat, coram omnibus humiliter est confessa, proponens firmiter animo iuxta possibilitatem suam pro Christo petentibus fratribus nunquam aliquid denegare.

* *f. 148v*

EPILOGUS [a]

Ecce [b], frater, dum votis tuis caritatis [c] morem gerere studui, verborum multitudine, sicut assolet, incurrente modum collationis excessi. Eo tamen arbitror mihi facilius indulgendum, quo te saepius auditorum causas enixius percunctante coactus sum a proposito narrationis nostrae cursu divertere, et rationum semitas usquequaque per condensos frutices Scripturarum quasi latitantem bestiam * investigans eruere iuxta vires ingenii * *f. 149r* attentavi. Sicut enim canis [d] venationi deditus non semper continuatis passibus cursum dirigit in directum, sed aut pedum vestigiis [e] bestiae praecedentis incedens, aut profusi certe cruoris intuitu provocatus, nonnunquam vero solius odoris auras sagaci nare percipiens, nunc in via, nunc per devia, nunc sinistra, nunc dextera, nunc

---

[a] CL om. [b] CL praem. *narrator*. [c] L *caritative*. [d] C *cani*. [e] C *vestia*.

ante, nunc retro concupitam sibi praedam anhelis [a] cursibus perscrutatur: sic nimirum necesse est [b] rationum abdita penetranti [c], nunc vera, nunc falsa, nunc similia, nunc contraria, quandoque vero antecedentia et consequentia, demum autem contingentia meditari, ut vestitam quasi nube intelligentiae tardioris lucem veritatis educere aut quasi pannis infantiae obvolutam infirmioris ingenii ruditatem, rationum spiculis dissolvendo, valeat illustrare.

Nec tamen extimo magnum aliquid aut profundum in processu operis mea tibi diligentia vel industria declaratum [d], sed plerumque sententias seniorum et opinionum ri-*vulos consectatus quaerenti tibi conatus sum iuxta capacitatem ingenii respondere, quod, sicut dixi, sanctorum certe sententiis aut doctorum dictis, nisi fallar, memini me legisse. Et hunc ergo sermonum mihi finem constituam, ut quicumque minus in aliquo me dixisse cognoverit de praedictis, errantem potius corrigat. Sic quoque terminum narrationi nostrae duxi praesentibus statuendum, ut nequa quam plura scientibus aut maiora de gestis fra-

* *f. 149v*

---

[a] C *anhelus*. [b] C om. [c] C *pe* cum spatio vacuo. [d] C *declatum*.

trum narraturis invideam, sed addendi potius fratrum [a] gloriae occasionem aliquam meo studio gaudeam praestitisse. Hoc tamen solo lectorem horum cupio fore commonitum, quod, sicut a principio narrationis dixi, sancti patris Francisci titulos acutiori ingenio et stilo digniori committens, ex auditis et lectis aliorum fratrum gestis multa [b] scienter ac prudenter omisi, ne propter identitatem [c] aut similium inculcationem [d], sicut etiam [e] multitudinem narrandorum, aures legentium aliquatenus aggravarem. * * *f. 150r*

Si cui ergo de transactis, quae ad meam minime pervenere [f] notitiam, aut futuris etiam fratrum titulis ad aedificationem fidei aliqua scribere videbitur opportunum, invenisse congratulor meorum defectuum suppletorem, et divinae laudationis comitem amplexatus, ad fratrum quoque nostri Ordinis gloriam ampliandam non indigne feram me quemcumque reperisse consortem.

Explicit. Deo gratias. Amen.

---

[a] C *addendum potius fratrem.* [b] C *multi.* [c] C *idem putatis.* [d] CL *inconculcationem.* [e] L *et.* [f] C *pervenire.*

INDEX NOMINUM PROPRIORUM

*Asteriscus * indicat Fratrum Ord. Min. nomina.*

Acomandus, vir, 164.
Actus, 110.
* Adam Rufus (fr.), 246-250.
Adglianum, locus, 146.
Adimola, locus, 130.
Adria, civitas, 280.
* Aegidius (fr.), 129.
Aegidius, vir, 173; alius, 234.
Aegyptii, 196, 261.
Aeneas, 198.
Agnes, puella, 31.
Albasia, mulier, 156.
Albertus Barilus, vir, 216.
Albonetus, vir, 160.
Aldbrandina, mulier, 144.
Aleardinus, miles, 61.
Alesius, vir, 243.
Alexia, mulier, 49.
Aliotus, vir, 242.
Altagratia Ioannis, mulier, 181.
Altuspassus, locus, 127.
Amalec, 295.
Amalecitae, 196, 295.
Aman, 198.
Amata, mulier, 145.
* Ambrosius (fr.), 133-184.
Amfelisa, mulier, 113.
Amillina, mulier, 92.
* Andreas (fr.), 281, 282.
Andreas, vir, 145.
Andriotus, puer, 162.
Angelus, puer, 178.
Anguillaria, locus, 63.
Antiochus, 114.
* Antonius (B.), 7-72, 243.
Apocalypsis, 108, 109.
Apostolus, 108, 151, 158.
Apulia, provincia, 47, 55, 127.
Aqua Laureti, locus, 210.
Ariminum, civitas, 14.
Arsenda, mulier, 110.
Arvinus, vir, 163.
Asalon, 250.
Assisium, civitas, 12, 15, 265, 292.
Assyrii, 167.
Atra, mulier, 111.
Atrium Pennense, locus, 250.
Augustinus (S.), 8, 139.
Auriema, puella, 48.
Auximum, civitas, 190, 192, 193.
Avenante, matrona, 143.
Avinanta, mulier, 243.
Baal, 45.

**

Balaam, 101.
Balduinus, 182.
Balseverina, mulier, 147.
Baranum, lacus, 237.
Barthelotus, vir, 182.
Bartholomaeus, vir, 42; alius, 237; alius, miles, 71.
Bartholomaeus Gubianus, vir, 123.
Barulum, civitas, 246-248.
Baudela, locus, 103.
Bealsamus, diaconus, 78.
Beatrix, mulier, 149.
Belbrunus, puer, 148.
Bella, mulier, 92.
Beneamata, mulier, 163.
Benedictus (S.), 27.
Benenata, puella, 162.
Benetendus, vir, 165.
Beneventana, mulier, 250.
Benevenuta, mulier, 230.
* Benevenutus (fr.), 73-172.
Benevenutus, puer, 179.
Benevenutus Montanarius, vir, 149.
* Benincasa (fr.), 291.
Benincasa, vir, 146.
Bentivolius, vir, 216.
Berengarius, archipresbyter, 228.
* Bernardus (fr.), 229, 230; alius, 276.
Berta, mulier, 170; alia, puella, 216.
Bethel, 160.
Bilia, mulier, 44.
Blanzaflor, mulier, 215.
Blasius, vir, 157.
Bona, puella, 216.
Bonacursus Rainaldi, vir, 174.
Bonafemina, mulier, 222.
Bonagura, vir, 147.
Bonapressus Rupetus, vir, 209.
Bonaspes, vir, 228.
Bonaventura Florentii, vir, 221.
Boncompagnus, vir, 229.
Bonellus, haeresiarcha, 14.
Bonsignolus, vir, 163.
Bonus, episcopus, 77.
Bonus Ioannes, vir, 217.
Bonusinfans Corveseri, vir, 104.
Brenta, flumen, 30.
Caesar, 11.
Caesaria, mulier, 33.
Camerinum, civitas, 216.
Campania, provincia, 233, 273.
Campus Rotundus, locus, 71.
Cangianum, castrum, 236-7.
Capelum, castrum, 238.
Caput Gauri, locus, 32, 33.
Caradonna, mulier, 173.
Caratenuta, puella, 124.
Carolina, mulier, 48.
Castagnetum, castrum, 192.
Castrum-Ficardi, locus, 193.
Catania, mulier, 121.
Catherina (S.), 225.
Cella, locus fratrum, 22.
Chemota, puella, 241.
Christophorus, vir, 143.
Chura Maria, mulier, 106.
Cinchius Odonis, vir, 161.
Civitella, locus, 145.
Clara, mulier, 149.
Claravisu, puella, 169.
Clara Zaldonis, mulier, 180.
Claritia Iacobi, mulier, 122.
* Clemens (fr.), 256.
Clusanus, sacerdos, 103.
Clusius, vir, 153.
Colimbria, civitas, 8.
Comaclum, civitas, 55.
Compagnus, vir, 178.
Concordia, comitatus, 33.
* Concordius (fr.), 199.
* Conservus (fr.), 208.
Constantinus, vir, 115.
Cordella, locus, 250, 251.
Cornetum, civitas, 73, 76, 79, 80-82, 85, 89-92, 98, 104-106,

111, 112, 118, 124, 127, 130, 131, 144.
Corniglanum, locus, 48.
Correctus, vir, 222.
* Crescentius (fr.), min. gen., 2.
Cuniza, mulier, 28.
Curra Cabalini, locus, 228.
Dactus, miles, 82; alius, 111.
* Damianus (fr.), 234.
Damianus, vir, 153.
Daniel, propheta, 197, 263.
Daniel, puer, 160.
Deotama, soror, 215.
Dialta, mulier, 209.
Diamante, mulier, 153.
Diruta, locus, 250.
Divitia, mulier, 165.
* Dominicus (fr.), 228, 229.
Dominicus, vir, 55.
Dordona, locus, 91, 119, 123.
Duo Castra, locus, 242.
Elias, propheta, 45, 196, 233.
Eliseus, propheta, 87, 160, 197, 255, 295.
Elymas, magus, 198.
Ermerina, mulier, 43.
Esther, 198.
Eugubium, civitas, 73.
Eutychus, puer, 198.
Exodus, 261.
Ezechias, 167, 197.
Ezechiel, 166.
Ferracellus, vir, 207.
Ficta Montagna, puella, 165.
Flora, puella, 216.
Florentia, civitas, 279.
Flos de Gemma, mulier, 48.
Fogia, civitas, 106, 235, 236.
Forcedis, vir, 94.
Forgnola, locus, 206.
Forum Iulii, civitas, 50.
Franca, mulier, 179.
Francisca, mulier, 178.
* Franciscus (S.), 6, 9, 15, 74, 137, 203, 231, 232, 273, 274, 286, 288, 289, 299.
Franciscus, puer, 178; alius, 181.
Franculus, vir, 177.
Fredericus, vir, 33.
Fulgineum, civitas, 221-223, 284.
Galterellus, puer, 121.
Galudibilia Fortunati, mulier, 125.
Garderia, eremitorium, 256.
Gastaldella, mulier, 228.
Gaudianum, locus, 115.
Gedeon, 196.
Gemma, mulier, 164; alia, 249.
* Gentilis (fr.), 250.
Giezi, 233.
Gilius, vir, 174.
Girardus, vir, 173; alius, miles, 273.
Gisla, mulier, 31.
Gisla Devica Canutii, mulier, 172.
* Gismundus (fr.), 268-271.
Gisus, vir, 250.
Gisus Buccerius, vir, 104, 105.
Godivilla, mulier, 178.
Gomorrha, 175.
Gratia, mulier, 153; alia, 155.
* Gratianus (fr.), 190-194.
Gregorius (S.), 184-186.
Gregorius Citerhii, medicus, 203.
Gregorius IX, 77, 138.
Gregorius Peneriae, 145.
Gualfredutia Philippi, mulier, 210.
Gualterius, vir, 180.
Guido, puer, 155.
Guido Petri Brunae, notarius, 184.
Guidotus, clericus, 63.
Guidutius, puer, 227.
Guilgla, mulier, 177.
* Guilielmus (fr.), 250.
Guilielmus, puer, 94; alius, vir, 138; alius, vir, 105.
Guisileum, locus, 122.

Henricus, puer, 70; alius, 163.
Henricus Roculus, vir, 162.
* Hermannus (fr.), 221-223.
Herodes, 110, 262.
Hispania, 9, 10, 257, 291.
Holofernes, 198.
Hylglanum, locus, 169.
Iacob, 109 157.
Iacob, iudex, 78.
Iacoba, mulier, 169.
Iacoba Ydombrandi, mulier, 172.
* Iacobus (fr.), 235, 236.
Iacobus (S.), apostolus, 66, 195, 259.
Iannellus, adolescens, 105.
Ierusalem, Ierosolyma, 8, 10, 19.
Iesus, 18, 39, 46, 52, 66, 139.
* Ioannes (fr.), 284.
Ioannes (fr.), praedicator, 127, 128.
Ioannes, puer, 145; alius, 182.
Ioannes, vir, 214; alius, 216; alius, 128.
Ioannes, prior, 241.
Ioannes (S.), apostolus, 45, 225, 244.
Iob, 216.
Iordanis, flumen, 232.
Iordanus, puer, 233.
Iosue, 196.
Isaac, 157.
Isaias, 52, 167, 175.
Israel, 167, 196, 261, 295.
Istria, regio, 241.
Italia, 12, 190.
Iudaea, 167.
Iudaei, 17.
Iudas, apostolus, 109.
Iudith, 198.
Iuncta, vir, 224.
Iusiana, mulier, 104.
Iuvitta, mulier, 69.
Laetitia, mulier, 162; alia, puella, 210.
Lafrenum, locus, 230.
Lateranum, 141.
Lauretum, locus, 48.
Laya, castrum, 201.
Lazarus, 60.
* Leonardus (fr.), 233, 234.
Leonardus, vir, 48; alius, 49; alius, 154; alius, 182.
Leopardus Salvi, 192.
Leviticus, 267.
Ligerius, clavarius, 179.
Lilium, insula, 182.
Lubrianum, locus, 172.
Luca, civitas, 237.
* Lucas (fr.), lector, 117.
Lupicinus, vir, 183.
Lusianum, locus, 110.
Machabaei, 114, 198.
Mainerius, vir, 34.
Malianum, castrum, 284.
Manens, vir, 170.
Maraldus, vir, 249.
Maralla, mulier, 117.
Marcoaldus, vir, 31; alius, 215; alius, iuvenis, 202.
Marcus (S.), evangelista, 38, 39, 95.
Marcus Abbasarius, vir, 153.
Marcus, vir, 242.
Margarita, mulier, 34; alia, 91; alia, 160; alia, 249.
Maria, mulier, 30; alia, 42; alia, 247; alia, puella, 242; alia, 208.
Maria Cica, mulier, 124.
Maria Ioannis Berardi, mulier, 207.
Marochium, 9, 10.
Marsenda, mulier, 226.
* Martinus (fr.), 226-228.
Martinus, vir, 208; alius puer, 208; alius, 242.
Massa, civitas, 229, 230.
Massana, puella, 171.
Matalia, mulier, 228.
Mathaliona, mulier, 171.
* Matthaeus (fr.), 199, 203.
Matthaeus, vir, 236; alius, iudex, 248.

Matthaeus Rubeus, vir, 106.
Mauri, 97.
Maximianus, puer, 170.
Maza, vir, 242.
Megium, castrum, 207.
Melfia, locus, 268.
Mercuinus, puer, 153.
Michelota, mulier, 50; alia, 51.
Minervinum, locus, 119.
Minores (fr.), 9, 74, 78, 79, 128, 129, 134, 140, 184.
Monopolis, civitas, 55.
Mons-Albonus, locus, 227.
Mons-Ciari, locus, 216.
Mons-Feltrum, civitas, 228.
Mons-Fortinus, locus, 233, 234.
Mons-Mairani, locus, 105.
Mons-Melonis, locus, 216.
Mons-Pauli, eremus, 12.
Mons-Pulcianum, locus, 17', 182.
Mons-Rubianus, locus, 230.
Mons-Silex, locus, 66.
Mons-Ulmi, locus, 216.
Mons-Ulmonis, locus, 230.
Montagna, mulier, 183.
Montana, locus, 106.
Montaria, mulier, 180.
Montorium, locus, 155.
Morena, mulier, 115.
Morvida, puella, 170.
Moyses, 61, 196, 295.
Munelis, mulier, 96.
Narnium, 199-201, 203, 209.
Nicolaus (S.), 65, 225, 248.
* Nicolaus (fr.), guardianus, 80, 121, 131.
Nicoletus, puer, 147.
Nocetus, vir, 246.
Noenta, locus, 34.
Normanda, mulier, 104.
Odo, vir, 155.
Odo Napolleus, vir, 144.
Oliva, soror, 68.
* Otho (fr.), 241-243.
Padua, civitas, 7, 15, 20, 22, 27, 28, 33, 47, 51, 54, 61, 70.
Paduana, puella, 50.
Palea, flumen, 179.
Palma, puella, 123.
Palma Simonis, mulier, 118.
Palmeria, mulier, 156.
Palmerius, vir, 90; alius, 161.
Parisius, vir, 249.
Pasca, mulier, 123; alia, puella, 246.
Paternum, locus, 145.
Paulus (S.), apostolus, 26, 75, 159, 176, 198, 244, 280, 290.
* Paulus (fr.), 214-217.
Paulus, magister, 210, 211.
Pauperes Dominae, 68.
Pax, mulier, 146.
Pellis, vir, 154.
Peregrinus, archipresbyter, 98, 130.
Pescopaganum, locus, 121.
Pesquitium, castrum, 253.
Petracha, magister, 119.
Petronus, vir, 223.
Petrus (S.), apostolus, 45, 46, 198, 244, 262.
* Petrus (fr.), 230, 231; alius, 236-238; alius, 263; alius, 289.
Petrus, infans, 9.
Petrus, medicus, 269.
Petrus, puer, 118.
Petrus, vir, 50; alius, 178; alius, 241.
Petrus Bonifilii, vir, 206.
Petrus Taccarus, vir, 85.
Pharao, 37, 261.
Philippus, campsor, 235.
Philippus, magister, 248.
Pipernum, civitas, 233, 234, 296.
Plebs-Sacci, locus, 42.
Pola, civitas, 241-243.
Polus Georgii Bancotelli, vir, 208.
Porcile, locus, 43.
Praedicatores (fr.), 27.
Pratumlongum, locus, 208.

Prosdoxima, mulier, 34.
Pulcignum, locus, 33.
Raguel, 197.
* Rainaldus (fr.), 276, 277.
Rainaldus, magister, 237.
Rainaldus Floremans, vir, 164.
Rainutius, mercator, 171.
Ranerius Christiani, vir, 168.
Rapolla, locus, 247.
Reatum, civitas, 275.
Ressemandus, vir, 110.
Riccadonna, mulier, 162.
Riccarda, mulier, 28.
Richa, mulier, 148.
Richerius, episcopus, 77.
Ripa Transonis, civitas, 191.
Risandus, episcopus, 77.
Robertus (fr.), conversus, 99.
Robertus de Armento, vir, 117.
* Rogerius (fr.), 206-210.
Rogerius, miles, 92.
Rogerius Fornarius, vir, 111.
Rogerius Ioannis Ferrarii, vir, 86.
* Rollandinus (fr.), 279, 280.
Rollandus, vir, 49.
Roma, 295.
Romana, mulier, 296.
Romaniola, provincia, 12, 190.
Rosa, puella, 214.
Rosa Magaloti, mulier, 183.
Ryldebraldinus Ranutii, vir, 144.
Sabina, mulier, 206.
Sabinus, vir, 130.
Salomon, 158, 219, 212, 245, 266.
Salsa Burgensis, locus, 235.
Salva-Terra, locus, 61.
Samaritana, puella, 32.
Samuel, propheta, 61, 196.
Sanctia, mulier, 209.
S. Agatha, castrum, 86.
S. Crux, locus, 178.
S. Crux, monasterium, 8.
S. Maria, vicus, 179.
S. Maria de Orsaro, ecclesia, 241.
S. Mustiola, vicus, 154, 181.
S. Sophia, locus, 249.
S. Victoria, ecclesia, 155.
S. Andreas, vicus, 143, 170, 169.
S. Angelus, locus, 215.
S. Angelus de Posterula, hospitale, 143.
S. Angelus de Posterula, vicus, 163, 165
S. Apostoli, vicus, 153, 171, 174, 177, 183.
S. Blasius, locus, 207.
S. Christophorus, vicus, 164, 180.
S. Constantius, vicus, 149, 164.
S. Dominicus, vicus, 147.
S. Faustinus, vicus, 153, 161, 173, 178.
S. Felicianus, ecclesia, 223.
S. Georgius de Alega, locus, 64.
S. Heritius, castrum, 289.
S. Hilarius, locus, 64.
S. Ioannes de Platea, monasterium, 139.
S. Iuvenalis, vicus, 148, 153, 162, 163, 168, 170.
S. Laurentius, locus, 292.
S. Laurentius, vicus, 161.
S. Leonardus, locus, 264.
S. Marcus Parvulus, locus, 65.
S. Marinus, civitas, 228, 229.
S. Paulus, ecclesia, 215.
S. Petrus, ecclesia, 93, 94, 111, 131.
S. Petrus de Mechera, ecclesia, 136, 137.
S. Salvator, monasterium, 215.
S. Salvator, vicus, 149.
S. Spiritus de Salsola, domus, 99.
S. Stephanus, vicus, 146.

S. Stephanus de Ripa, monasterium, 268, 271.
S. Terentianus; locus, 284.
Sara, 197.
Sardis, 27.
Saraceni, 9.
Saul, 61, 101.
Scannus, vir, 170.
Sciraptis, mons, 284.
Sclaralda, mulier, 173.
Sconitus, vir, 43.
Seramia, mulier, 163.
Sibilia, mulier, 155; alia, 210.
Sicilia, 10, 12.
Sidonii, 110.
Siginolfus, puer, 111.
Simeon, puer, 51.
* Simon (fr.), 209; alius, 259.
Simon, vir, 149.
Sion, 167.
Sodoma, 175.
Solangna de Montagana, mulier, 41.
Solimbria, mulier, 90.
Speciosa, porta, 45.
Stellentia, mulier, 89.
Stephanus Hermanni, vir, 169.
Subpentonia, locus, 264.
Sunamis, 197.
Superba, mulier, 164.
Susanna, 197.
Syri, 197, 255.
Tabitha, 60, 198.
Tematica Tansilgardi, mulier, 112.
* Tentalbene (fr.), 234, 235.
Thasura, mulier, 106.
* Theobaldus (fr.), 292.
Theobaldus, puer, 227.
Theodora, mulier, 170.
* Theodoricus (fr.), 47.
Thomas Nicodemi, vir, 118.
Thomasina, mulier, 227.
Tiberis, flumen, 284, 292.
Tinatius, miles, 155.
Tirellus, miles, 82.
Tobias, 176, 197.
* Tobias (fr.), 136.
Tornambene, carnifex, 171.
Torta, puella, 102.
Trabes Bonantis, locus, 194.
Traianus, imperator, 186.
Traictum, locus, 131.
Tramandata, mulier, 149.
Tridentinus, adolescens, 40.
Trimegon, locus, 69.
Tristagnus, monachus, 268-271.
Trivisium, civitas, 41.
Tudertum, civitas, 206, 207, 209, 210, 234.
Tudinus, vir, 210.
Tuscanella, civitas, 251.
Tyrii, 110.
Tyrum, civitas, 166.
Ugolinus, vir, 180; alter, 182; alter, 200.
Ugolinus Melechinus, vir, 143.
Ulixes Falconis, vir, 124.
Urbevetana, mulier, 148.
Urbs, 179.
Urbsvetus, civitas, 133, 137, 157, 172-179.
Valentinus, puer, 208.
Vallis Platta, locus, 173.
Vectice, locus, 191.
Venerella, puella, 111.
Venetiae, civitas, 37, 49, 64-66.
Venetiana, mulier, 41.
Ventura, vir, 155.
Verdiana, mulier, 248.
Veridotus, vir, 41.
Verzera, mulier, 207.
Vincentia, civitas, 43.
Viterbium, civitas, 79, 156.
Yldeprandus Crassus, vir, 155.
Zanchatum, castrum, 273.

INDEX MATERIAE

Praefatio . . . . . *Pag.* v
§ 1. De libri titulo. vi
§ 2. De eius integritate ix
§ 3. De tempore compositionis xv
§ 4. De Dialogi lectoribus xvii
§ 5. De Dialogi indole et natura xxi
§ 6. De Dialogi fontibus et valore. xxvi
§ 7. De Dialogi relatione ad Legendam primam S. Antonii xxix
§ 8. De Dialogi relatione ad Chronicam fr. Thomae de Papia xxxvi
§ 9. De Dialogi relatione ad « Bovem » fr. Thomae de Papia xliv
§ 10. De Dialogi auctore lvi
§ 11. De Dialogi traditione manuscripta lxii
§ 12. De ratione praesentis editionis lxv
Prologus 1
I. De B. Antonio de Padua 7
Cur Deus ipsum a martyrio frustrari permisit . . 10
Duobus modis viri spirituales tentari solent ut a bono desistant 17

Cur iusti alii aliis celerius moriuntur 25
De ratione miraculi et cur quidam aegroti tantos patiuntur dolores 35
Quam utiliter sunt Sanctorum impetranda suffragia. 44
De potestate miraculorum Ecclesiae tributa . . . 52
De quadruplici genere mortuorum et quae inter resuscitatos diversitas 57
De vario miraculorum effectu 63
Quod non est facile nec tutum Sanctorum merita comparare 65
Quod suffragia Sanctorum aliter et aliter proficiunt. 68
De fidelitate in votis servandis 70
II. De Fr. Benevenuto 73
Quod non tota beneficiorum exhibitio sit fidei meritis tribuenda 87
De ratione corporearum poenarum 95
De potestate daemonum in possessos 100
De peccato blasphemiae verbis factisve commisso . 107
De quorumdam ingratitudine peccatorum 113
Cur Sancti plerumque viventes nulla vel pauca facere dicuntur miracula 120
Qualiter Sancti preces orantium et passiones possint cognoscere 126
III. De Fr. Ambrosio 133
Cur Ecclesia adeo difficilis est in canonizatione Sanctorum 142
De efficacia et inefficacia precum nostrarum . . . 150
De verbis imprecatoriis tam iuste quam iniuste prolatis 157
Quod poenae corporales saepe sunt in signum et culpae interioris vindictam 165

De gratitudine erga Deum et an sanitas sit semper utilior ad salutem 174
De Traiano et aliis damnatis revocatis ad vitam . 185
IV. De quibusdam aliis fratribus 189
Quod fere nihil mirandum completur absque deprecationis instantia 195
Quam sapienter ad medicum necessitatis tempore recurramus 204
Quam recte spinis comparentur divitiae atque delitiae 211
Quod Deus aliquoties utitur virga correptionis ad revocandum peccatorem 217
Manna de Sancti sepulcro profluens certe mysticam continet rationem 224
Quomodo beneficia caelestia multiplicatis intercessoribus dicuntur largiri 231
Quod Deo displicet ingratitudo sicut et superstitionis suspitio 239
De oeconomia Dei in electione simplicis et sapientis 243
V. De visionibus fratrum 252
De hominum angelica custodia 254
De varietate tentationum multiplici 258
De angelica sollicitudine super homines etiam peccatores 260
De necessitate confessionis 266
Quam prodest sibi per opera bona Sanctorum amicitiam comparare 272
Quantum honorificandi sint Sancti 275
Miracula sunt in adiutorium fidei 278
De discretione spirituum necessaria 281
De virtute perseverantiae 283

De caritate et misericordia circa lapsos 285
De virtutis obedientiae fundamentis. 290
De obedientia discreta 293
Epilogus. 297

Index nominum propriorum 301
Index materiae 309

Imprimi potest.

Romae, 12 Februarii 1923.

Fr. Bernardinus Klumper O. F. M.
Minister Glis.

Imprimatur.

Florentiae, die 20 Februarii 1923.

Can. Ioachim Bonardi, *Vic. Gen.*

APUD EANDEM TYPOGRAPHIAM PROSTANT

Bibliotheca Franciscana Ascetica Medii Aevi.

Tom. I. **Opuscula S. P. Francisci Assisiensis.** — 1904. In 16. p. XVI, 209. L. 4.00

Tom. II. **Speculum Beatae Mariae Virginis** Fr. Conradi a Saxonia. — 1904, p. XXVIII, 281. » 5.00

Tom. III. **Dicta B. Aegidii Assisiensis.** — 1905, p. XX, 124. » 4.00

Tom. IV. **Stimulus Amoris** Fr. Iacobi Mediolanensis. — **Canticum pauperis** Fr. Ioannis Peckam. — 1905, p. XX, 205. » 4,50

Tom. V. **Dialogus de Gestis Sanctorum Fratrum Minorum,** auctore Fr. Thoma de Papia. — 1923, p. LXVII, 315. » 6.00

Bibliotheca Franciscana Scholastica Medii Aevi.

Tom. I. Fr. Matthaei ab Aquasparta, O. F. M., S. R. E. Cardinalis, **Quaestiones disputatae de fide et de cognitione.** — 1903. In 8. p. XVI, 480. L. 14.00

Tom. II. Fr. Matthaei ab Aquasparta, O. F. M., S. R. E. Cardinalis, **Quaestiones disputatae selectae de Christo.** — 1914, p. XV, 227. » 10.00

Tom. III. Fr. Gulielmi Guarrae, Fr. Ioannis Duns Scoti et Petri Aureoli, O. F. M. **Quaestiones disputatae de Immaculata Conceptione B. M. V.** — 1904, p. XX, 157. » 8.50

Tom. IV. Fr. Petrus Iohannis Olivi, O. F. M. **Quaestiones in Secundum Librum Sententiarum** quas primum edidit ad fidem Codd. mss. BERNARDUS JANSEN S. I. — Vol. I. Quaestiones 1-48. — 1922, p. XXIV, 764. » 40.00

ANALECTA FRANCISCANA

sive Chronica aliaque varia Documenta ad historiam Fratrum Minorum spectantia edita a Patribus Collegii S. Bonaventurae, adiuvantibus aliis eruditis viris.

Tom. I. Chronica minora. — 1885. In 4. p. XIX, 450. L. 28.00

Tom. II. Chronica Fratris Nicolai Glassberger (1206-1517). — 1887, p. XXXVI, 642. » 35.00

Tom. III. Chronica XXIV Generalium Ordinis Minorum (1209-1374) cum pluribus Appendicibus, inter quas « Liber de Laudibus S. Francisci » Fr. Bernardi a Bessa. — 1897, p. XXXVIII, 748. » 37.00

Tom. IV. De Conformitate vitae B. Francisci ad vitam Domini Iesu, auctore Fr. Bartholomaeo de Pisa. Liber I. Fruct. I-XII. — 1907, p. XXXV, 672. » 35.00

Tom. V. De Conformitate etc. Lib. II III. Fruct. XIII-XL. — 1912, p. CXXVIII, 558. » 35.00

Tom. VI. Necrologia Ordinis Fratrum Minorum. — 1917, p. IV, 603. » 35.00

ARCHIVUM FRANCISCANUM HISTORICUM. Periodica publicatio trimestris cura PP. Collegii D. Bonaventurae. Directio et Administratio: Ad Claras Aquas. — 1908 et deineeps.

Pretium annuae subnotationis, praevie solvendum, est: in Italia Lib. 16; extra vero, Franc. 20.

Pretium singulorum voluminum iam editorum (1908-1922) est: in Italia Lib. 20 — extra Italiam Franc. 20.

150
1945

240.94
P198

48001

PAPIA, THOMAS DE

AUTHOR

Dialogus De Gestis Sanctorum Fratrum Minorum.

TITLE

Ferdinandus M. Delorme, O.F.M.ed.

DATE LOANED	BORROWER'S NAME	DATE RETURNED
	STORAGE - CBPL	

48001